


S. e. 217

* 88

Theologie

E. VII 449

Diese Ausgabe 149.



DE PRAEDESTINATIONE
SIVE ELECTIONE, ET
INDURATIONE,

PIA ET SANA

ECCLESIAE NOSTRAE
sententia, scripta studio &
amore veritatis,

per

IOHANNEM GARCÆVM,
*Pastorem Ecclesie DEI in noua
arce Brennonis.*

Addita est Epistola S. Patris Lutheri ad
personam tentatam de
Prædestinatione,



ANNO M. D. LXVI.

24



Eccles: 3.

Altiora te ne quaesieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quae praecepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius, ne fueris curiosus.

Rom. II.

O altitudo diuitiarum sapientiae & scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viae eius.

2. Timoth. I.

DEVS saluos nos fecit, & uocauit uocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam, quae data est nobis per Christum Iesum, ante tempora aeterna, sed reuelata est modo per apparitionem Domini nostri Iesu Christi.

Prouerb. 25.

Qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria.

ILLVSTRISSIMO
ET REVERENDISSIMO
PRINCIPI ET DOMINO, DO-
MINO SIGISMUNDO, ARCHIE-
piscopo Meideburgensi, Primati Ger-
maniae, Administratori Halberstadensi,
Marchioni Brandenburgensi, Duci Po-
meraniae, Silesiae &c. Burggrauio Nori-
bergenfi &c. Principi & Domino
suo clementis. S. D.

IOHANNES GAR-
CAEVS IVNIOR.



*GRAVISSIMA EST
sententia Apostoli. 1. Timoth. 2.
DEVS uult cunctos homines
saluos fieri, & ad agnitionem
ueritatis uenire, qua perspicue
idem docet, quod in Ezechiele affirmat DE-
VS, addito sanctissimo iuramento. Viuo ego,
nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur &
uiuat. Vt S. Petrus in 2. cap. 3. eandem do-
ctrinam repetit his uerbis: DEVS est pati-
ens erga nos, dum non uult ullos perire, sed
omnes ad pœnitentiam recipere. Hæ & similes
sententiæ Illustrissime Princeps, insigenda sunt
A 2 cordi,*

cordi, ut discutiantur tentationes, quibus sæpe
excruciantur animi, utrum simus in numero
Electorum? an DEVS certum habeat nume-
rum saluandorum? Vtrum nos quoq; libro uitæ
inscripserit? Testantur enim euidenter, quæ sit
DEI uoluntas erga nos, reuelata in uerbo,
DEVM non modo aliquos delectos, ex reliquo
cœtu hominum, sed omnes homines sine ullius
exclusionem uelle esse saluos, & hanc eius æter-
nam & immutabilem, erga omnes homines,
uoluntatem esse demonstrant.

Cum autem de hac ipsa parte doctrine, in
nostris Ecclesijs, consensum retineri necesse sit,
optime Princeps, & multi boni ac pijs uiri sæpe
a me flagitarint, ut ex scriptis probatissimis
colligerem confessionem sanam, utilem consci-
entijs, feci iam tandem, quod potui, & omni-
bus bonis & candidis eruditjs uiris iudicium
permitto. Et cum sciam Clementissime Domi-
ne, V. C. studia nostra non displicere, mittimus
ad V. C. hoc scriptum de Prædestinatione, &
oramus, ut de nostra pia uoluntate V. C. optime
iudicet. Bene V. C. ualeat in Christo Iesu. Ex
noua arce Brennonis die Elizabethæ, quæ muni-
ficentia in egenos & Christi ministros, immorta-
litas nomen consecuta, sanctis annumeratur.

PIA

PIA ET SANA
ECCLESIA RVM
nostrarum sententia & confessio,
de PRAEDESTINATIONE
sive Electione, & de
INDURATIO-
NE.

I.



MNIVM DIFFI-
cillima quaestio in
Ecclesia est de uo-
luntate Dei, quam
communi uoca-
bulo Praedestina-
tionem uocamus,
id est, de Electione & Induratione,
in qua S. Paulus gentium doctor
grauissima oratione exclamat, Ro-
man. II. O profunditas diuitiarum,
sapientiae & scientiae Dei, quam in-
comprehensibilia sunt iudicia eius,

A 3 &

DE PRÆDESTINAT.

& inuestigabiles uia eius. Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit ei & reddatur?

I I.

Orandus est igitur Deus toto pectore, ut luce uerbi sui regat mentes, ne ruamus in impias aut fanaticas opiniones: Simulque hoc cogitet mens, pia, multa in hac quaestione imperscrutabilia esse, quae primum in altera uita perdiscemus: Interea acquiescat in uerbo reuelato, & intueatur Filium Mediatorem, promissionem gratiae, Sacramenta, mandatum Dei de fide, & promissionem Spiritus sancti, eumque petat effundi in cor nostrum. Ut fidem excitet, iuxta dictum: Domine adauge nobis fidem.

I I I.

Hæc cum habes, & ciuis es uerae Ecclesiae, & uero gemitu uitam æternam

DE PRÆDESTINAT.

ternam in Filio DEI ac Spiritum sanctum expetis, omnino statuas, te esse electum Dei. Hæc enim illa sunt Spiritus sancti arma, quæ ex corde tuo, dubitationem & periculofam tentationem, de Electione expellere debent.

IIII.

Est autem ELECTIO seu Prædestinatio in genere, arcanum consilium & decretum in mente & uoluntate diuina, primum de condens creaturis rationalibus, per & propter Filium ad imaginem & similitudinem Dei, ut sint tanquam peculium & hæreditas Filij, & domicilium ac templum Dei, quibus ipse patefaciat & impertiat suam sapientiam, iusticiam, & reliqua in ipso bona. Deinde de hominibus per tristissimum lapsum auulsis à Deo, & demersis in iram Dei, in mortem æternam & potestatem

A 4 Dias

DE PRÆDESTINAT.

Diabolorum, miserrime etiam spoliatis, fauciatis & contaminatis, de novo recipiendis in gratiam, restituendis in integrum, & reponendis in possessionem bonorum æternorum per & propter solum Filium, & huius obedientiam, mortem ac meritum, ea lege & conditione admirabili, ut hæc beneficia consequantur soli illi, sed omnes tamen, quotquot hunc Filium in hac temporali uita agnoscunt, & ut Mediatorem, redemptorem, iustificatorem & saluatorem suum, fide apprehendunt, iuxta Verbum ab ipso ex arcano sinu æterni Patris prolatum, & in hac fide ad extremum ex hac uita discedunt.

V.

Hæc definitio generalis plana & expedita, complectitur consilium de condendis & creandis creaturis rationalibus, de quo S. Paulus Ephes. primo & alibi affirmat, nos
in Fi

DE PRÆDESTINAT.

in Filio Dei Domino nostro Iesu Christo, electos fuisse, antequam fundamenta mundi iacta fuerint, ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius.

VI.

Arcanum in mente diuina & uoluntate ipsius Dei consilium dicitur, non quod patefacta sit Electio, aut etiamnum ignoretur ab hominibus, ut multi existimant, prorsus absconditum & incertum esse, qui sint electi & prædestinati ad salutem æternam necne: Sed quod creaturis omnibus, in omnem æternitatem ignota fuisset, nisi immensa Dei bonitate & misericordia patefacta esset & prolata per Filium: Imo quod etiam post patefactionem, omnes causæ huius consilij creationis & redemptionis generis humani, in hac uita, acie mentis humanæ penetrari & exhauriri non possint.

A 5 Prima

DE PRÆDESTINAT.

VII.

Prima & principalis causa impulsiva Electionis, hoc est, consilij & decreti diuini, de creandis & seruandis creaturis rationalibus, est infinita bonitas in Deo, cupiente se patefacere & communicare naturis conditis, ad agnitionem & sempiternam societatem Dei sapientissimi opificis.

VIII.

Deinde specialis causa impulsiva est in Patre æterno, ardentissimus amor erga Filium, cui cum ipsi per omnia æqualis esset, euidentius suum amorem declarare uoluit, ut ab his conditis creaturis rationalibus, ceu hæreditate sua, agnosceretur in tota æternitate, & celebraretur.

IX.

Causa impulsiva specialis in Filio, est amor flagrantissimus erga Patrem,

DE PRÆDESTINAT.

Patrem, qui petit & impetrat creationem rationalium naturarum ad imaginem Dei, ut sit cœtus, cui paternam bonitatem erga se patefaciat, & uenerationis paternæ socios habeat in tota æternitate.

X.

Causa impulsiva in Spiritu Sancto, qui est amor substantialis inter Patrem & Filium, hæc est, Quod & ipse Patris & Filij agnitionem & cultum expetit, ideoq; decretum & deliberationem illam adiuuat, & naturas rationales, summa læticia Deo copulat & adiungit.

XI.

Placent ergo & sunt acceptæ Deo naturæ illæ rationales, non suis uirtutibus aut donis, sed ex gratuito amore & bonitate diuina, qua eliguntur & prædestinantur, ad æternam cum Deo consuetudinem,
antes

DE PRÆDESTINAT.

antequam quidquam agere aut o-
perari possunt: imo antequam for-
mantur, Ephes. I.

XII.

Prædestinatio uero in specie, est
decretum siue consilium Dei ab æ-
terno, quo ex misericordia propter
Filiū reuelatum per prædicatio-
nem Euangelij, eligit ex genere hu-
mano Ecclesiam, redemptam per
obedientiam, passionem, mortem
& resurrectionem Domini nostri
IESV CHRISTI, atque ita singu-
los in fide perseverantes, quibus in
omni æternitate, suam sapientiam,
iusticiam, uitam, & læticiam com-
municet, & a quibus uicissim cele-
bretur: Vel est Dei decretum, de
abiectione impiorum iuxta reue-
lationem Euangelij, & malorum
conatibus coercendis ac determi-
nandis, ut iusticia ipsius conspiciat-
tur.

Hæc

DE PRÆDESTINAT.

XIII.

Hæc prædestinatio alias uoluntas Dei dicitur, præfinitum consilium, manus & consilium Dei, propositum, uocatio, inscriptio in librum Dei. Item consilium uoluntatis diuinæ, & his ac similibus uocabulis nomen prædestinationis exprimitur.

XIIII.

Estq; hæc uoluntas Dei arcana, reuelata in Verbo, alia Electionis, alia indurationis. Decreuit enim DEVS seruare omnes, quotquot communem habent cum Christo unigenito Filio suo, & perdere omnes, quotquot à Christi Filij sui communionem alieni sunt.

XV.

Causa impulsiva Electionis, de qua primum dicemus, est Dei misericordia. Cum enim homines ex summo fastigio dignitatis & beatitudinis

DE PRÆDESTINAT.

tudinis sempiternæ, sua liberrima uoluntate, in chaos inenarrabilium malorum prolapsi essent, noluit in tota æternitate abiici illos, sed præter cætera sua bona, in creatione hominum ostensa & patefacta, etiam misericordiam, & ex inexhausto amoris fonte profluentem, innotescere & conspici uoluit, effundens omnia uberrimè, ne quid in ipso reliquum boni maneret.

XVI.

Hæc misericordia non mutauit aut sustulit pœnas decretas hominibus, post legis transgressionem in Paradiso, sed rigorem iusticiæ diuinæ mitigauit, addita hac conditione, si esset intercessor, mediator & satisfactor aliquis pro hominibus. Hæc misericordia est unicum fundamentum Electionis totius generis humani.

Hæc

DE PRÆDESTINAT.

XVII.

Hæc miseratio suas causas habet, ipsum scilicet Filij amorem erga homines, ad imaginem ipsius conditos, & cum amore coniunctum dolorem inenarrabilem, quod uidet pignus paterni amoris à se auelli, nec non additam supplicem deprecationem, qua munus deprecatoris in se recepit, & iusticiæ diuinæ se satisfacturum esse promisit, qua intercessione motus æternus Pater, denuo genus humanum donauit Filio, eumq; summum eius & æternum sacerdotem constituit, Psalm. 2, 110. Esaia 45.

XVIII.

Causa igitur Electionis hominum, nulla alia est, quam Filius deprecator generis humani, qui uere est caput Ecclesiæ, perficiens omnia in omnibus, de quo consilium & decretum diuinum in Paradiso

DE PRÆDESTINAT.

radiso statim patefactum est, uniuersale quidem, uniuersos & singulos saluandos respiciens, quotquot hunc Filium audiant & recipiant, Iohan, I.

XIX.

Norma, seu modus seu conditio, iuxta quam Electio sancitur, hæc unica est, quod uoce Euangelij affirmat Deus, se certo & sine ulla exceptione & *προσωποληψία*, recipere uelle in numerum electorum siue filiorum Dei, omnes & solos illos, qui bona & beneficia per Christum parta, oblata & proposita in uerbo, fide sibi applicent, & semel accepta, fide & bona conscientia retineant.

XX.

Huius normæ duo sunt membra: primum Filius Dei, dispensator suorum beneficiorum: deinde singulorum propria fides. CHRISTVS enim redemptor noster est
unicus

DE PRÆDESTINAT.

unicus dux noster, singulis electis, ad Patrem æternum, & ad lucem illam inaccessibilem, in qua decretum hoc de Electione & Salvatione hominum factum est, tribuens ac donans beneficia, his solis, & quidem gratis, sine omni merito, qui fide accipiunt, petunt, & retinent.

XXI.

Alterum membrum est fides, quæ accipit & petit beneficia Christi Iesu, quam requirit Deus, ne qua ipsi culpa perditionis & interitus hominum tribui possit, & omnes intelligant, DEVM cupidissimum esse salutis nostræ, modo oblata bona, nostra culpa non respiciamus.

XXII.

Etsi uero Electio conditionem fidei requirat: non tamen est meritum ac compensatio salutis & uitæ æternæ, sed est unicum illud instrumentum, quo Christi beneficia ap-

B

pre-

DE PRÆDESTINAT.

prehendere possumus, Vt singulis hæc rata sint, qui fide ad Filium dispensantem ac distribuentem illa bona, confugerint, & in eo fiduciam suam collocarint.

X X I I.

De hac norma Electionis testimonia nota sunt in scriptis Prophetis & Apostolicis, quorum numerus pene infinitus est: Iohannis primo scriptum est: Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius. Item, Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Item, Iohan. 6. Hæc est uoluntas Patris, qui misit me, ut omnis qui uidet Filium, & credit in eum, habeat uitam æternam. Similia sunt testimonia. Act. 4. 5. 10. 15. 1. Corinth. 1. & alibi passim,

DE PRÆDESTINAT.

passim, quæ docent, solum Filium
Dei & causam Electionis nostræ
unicam, & dispensatorem eius unis
cum.

XXIIII.

Sunt & testimonia, mandata scilicet, promissiones, comminationes, imo iuramenta diuina, quibus ostendit Deus, Electionem uniuersalem, omnium & singulorum, factam hac conditione, ut conuersi ad Filium, fide beneficia eius accipiant & sibi applicent, Vt Ezech. 18. & 32. Viuo ego, nolo mortem peccatoris &c. Matth. 11. Venite ad me omnes &c. Iohan. 3. Sic Deus dilexit. Iohan. 17. Hæc est uita æterna &c.

XXV.

Obiecta prædestinationis sunt res spirituales siue decreta diuina ab æterno de redemptione generis humani, per obedientiam, passionem,

B 2 mors

DE PRÆDESTINAT.

mortem & resurrectionem Domini nostri Iesu Christi, de uocandis tam Iudæis quàm gentibus, per ministerium Verbi, ad æternam suam gloriam. Item quod per auditum uerbi, in cordibus hominum, salutarem conuersionem operari, & credentes gratis absque operibus legis saluare uelit, ac sanctificare, ita ut per Spiritum Sanctum in eis habitet & inchoet nouam uitam, Item quod pii affligantur sciente Deo, cum illud diuinitus decretum sit, quod omnes, qui in Christo pie uiuere uelint, persecutionem pati oporteat. Item, quod Christus suo tempore reuersurus sit ad iudicium uiuorum & mortuorum. Hæc Dei consilia in uerbo sunt reuelata, nec decreta ulla sunt scrutanda, nisi hæc tantum, quæ in doctrina Ecclesiæ patefacta sunt.

X X V I.

His obiectis, quæ proprie sunt
Præ

DE PRÆDESTINAT.

Prædestinationis, adiuncta sunt decreta Dei, quæ uersantur circa res corporales: Sic consilium diuinum de seruitute Esau prædicit DEVS, Genes. 25. & multa sunt Exempla in Prophetijs, quibus de regnorum & urbium uel conseruatione, uel mutatione & deletione uoluntatem suam innotescere uoluit hominibus. De his decretis alibi dicitur.

XXVII.

Reuelatio Electionis, ex uerbo Dei sumenda est. Tantum enim à posteriori, hoc est, ex uoluntate Dei certo uerbo declarata, de hoc mysterio statuere debemus & possumus, de quo etiam typus nos commonefacit Exodi 33. Vbi Moses petit sibi gloriam Dei ostendi, respondet ipse, Ego ostendam omne bonum tibi, & prædicabo in nomine Domini coram te, Misereor quorumcumq; misereor, Et gratis

B 3 recia

DE PRÆDESTINAT.

recipio quoscunque commiseror. Addit & hoc postea Deus: Non poteris uidere faciem meam. Non enim uidebit me homo & uiuet. Et iterum ait: Ecce est locus apud me, & stabis supra petram, cumq̄ transibit gloria mea, ponam te in foramine petrae, & protegam dextra mea, donec transeam: Tollamq̄ manum meam, & uidebis posteriora: faciem autem meam uidere non poteris. Idem monet Apostolus Romanorum nono, ne extra uerbum patefactum quicquam scrutemur de hac uoluntate, nec somnietur aliam esse Dei uoluntatem, de saluandis aut damnandis hominibus, quam eam, quæ in Euangelio est expressa.

XXVIII.

Euangelium enim, quod à posteriori Deum monstrat, nihil aliud est, quam patefactio decreti Dei, quos, scilicet omnes, quas ob causas,

fas,

DE PRÆDESTINAT.

fas, scilicet ob meritum Christi, & gratis, & quomodo, scilicet, Si credant & in fide perseuerent, ordinantur ad uitam æternam, Et contra,

XXIX.

Quæ igitur hic de Electione reuelata sunt, scrutemur, non inquiramus illa, quæ in occulto recondita Dominus reliquit, nec negligamus illa, quæ in apertum protulit, ne aut nimix curiositatis aut ingritudinis damnemur. Ac scite ab Augustino dictum est; Nos tuto scripturam sequi posse, quæ uelut materno incessu submissius graditur, ne infirmitatem nostram deserat.

XXX.

Effectus Electionis exprimit Apostolus, cum inquit; Quos elegit, hos & uocauit, Et quos uocauit, hos & iustificauit. Quos autem iustificauit, eosdem & glorificauit.

B 4 Primum

DE PRÆDESTINAT.

XXXI.

Primum effectum nominat V O CATIONEM uniuersalem, id est, patefactiones, quibus decretum illud arcanum patefactum est, per λόγον æterni patris, de redemptione generis humani. Hæc uocatio complectitur simul totum ministerium, ipsam uocem Euangelij annunciantem pœnitentiam & remissionem peccatorum, armatam dulcissimis promissionibus, & Sacramenta, quæ sunt sigilla iusticiæ fidei, nec non efficaciam Spiritus sancti, qui per Verbum & non aliter, operatur, in electis ad societatem uitæ & salutis æternæ: Item miraculosam conseruationem ministerij & Ecclesiæ, quæ per uerbum uocatur & colligitur. Esaia 55. 59, Iohan. 10. Matth. 16. 2. Timoth. 2. Ephe. 4.

XXXII.

Secundus effectus est Iustificatio,

DE PRÆDESTINAT.

tio, quæ est uniuersalis & gratuita.
Qui enim sunt in cœtu uocatorum,
habent remissionem peccatorum,
placent Deo & iusti sunt imputata
Filij Dei iusticia & obedientia, iux-
ta illud, Roman. 3. Non est distin-
ctio, omnes peccauerunt. Iustifi-
cantur autem gratis, illius gratia, per
redemptionem, quæ est in Christo
Iesu. Item Rom. 10. Omnis qui fidit
illi, non pudefiet, &c.

XXXIII.

Tertius effectus est sanctificatio.
Hæc etiam est uniuersalis, & omni-
bus uere iustificatis contingit, absq̃
respectu personarum. Act. 15. Iusti-
ficati enim certo donantur Spiritu
sancto, & sunt domicilium totius
Diuinitatis.

XXXIII.

Quartus effectus est, glorificatio
Ecclesiæ uniuersalis, quæ omnibus
in fide, usque ad finem perseueran-

B 5 tibus,

DE PRÆDESTINAT.

tibus, communicatur, ut certi sint, ex hac uita emigrantes in fide, sese commigrare ad agmen Electorum, fruuentium æterna Dei consuetudine.

XXXV.

Hinc igitur piæ mentes dulcissimas & certissimas consolationes desument. Cum enim de indignitate & sordibus nostris cogitamus, confugiamus ad certissimum præsidium & firmissimam ancoram salutis nostræ, ad immensam Dei erga nos indignissimos bonitatem & misericordiam gratuitam, qua in Filio suo dilecto, nos nondum conditos, & postea lapsos, ac redemptos sanguine Christi, complectitur.

XXXVI.

Sæpe etiam particularitatis tentatio animum flagellat, qua si Electio sit tantum paucorum aut certorum

DE PRÆDESTINAT.

torum hominum, qui tabulis fatalibus consignati sint. Huic opponenda est uox Euangelij uniuersalis, arguens peccatum in omnibus, & proponens Filium Dei, per & propter ipsum offerens remissionem peccatorum, iusticiam & uitam æternam, & obligans omnes seuerissimo mandato, ut huic promissioni credant,

XXXVII.

Est & hæc magna consolatio, quod cum nusquam sint electi, nisi in cœtu uocatorum, qui audiunt discunt & profitentur Euangelium, certo Ecclesia aliqua mansura sit, quæ consilium Electionis amplectatur, & Christi beneficijs fruatur, ac placere Deo, quantumuis exiguos & tenues conatus, audiendi & discendi Euangelij, colendi ministerij & amandæ societatis Ecclesie, in qua multi sunt uere sancti & electi,

Firmis.

DE PRÆDESTINAT.

XXXVIII.

Firmissimè autem tenenda est hæc propositio: DEVM uelle omnes homines saluari, & uenire ad agnitionem ueritatis, id est, Euangelij de Filio, Domino nostro Iesu Christo, 1. Timoth. 2. Item: Deum non uelle mortem peccatoris, sed uelle, ut conuertatur & uiuat, sicut Christus inquit, Matth; 18. Non est uoluntas Patris mei, ut unus peccator pereat: Item, DEVM uelle omnes confugientes ad Filium recipere sine acceptatione personæ: Item, neminem damnari à Deo, nisi impœnitens sit, uel contemnat Filium, iuxta dictum, Qui non credit in Filium, manet ira Dei super eum. Iohan, 3.

XXXIX.

Hoc modo & non aliter, de Electione docendum & sentiendum est. Estq; hæc ipsa dulcissima doctrina, uerus consensus Euangelij, tradi-

DE PRÆDESTINAT.

traditus à Prophetis, Christo & Apostolis, tollens perspicuè opiniones stoicas de particulari Electione: Contra uero ponens ob oculos, inexhaustam Dei misericordiam, cupientis omnes saluari.

XL.

Hæc Electio in uoluntate Dei, non est stoica *προσωποληψία*, sicut mentes sine uerbo Dei, de arcana Dei uoluntate, & fatalibus saluandorum tabulis imaginantur; sed est æternum & uniuersale decretum Dei, de Electione Ecclesiæ, per uocem Euangelij, de redimendo & saluando humano genere, per Filium Mediatorem, gratis, sine ullo nostro merito, per misericordiam Dei, qua nos in Christo elegit, id est, saluos facere decreuit, ante iacta fundamenta mundi, & iusiurandum addidit, se non uelle mortem ullius hominis, sed gratis recipere uelle, omnes,

DE PRÆDESTINAT.

omnes, confugientes ad Filium,
quæ Dei uoluntas in Euangelio ex-
pressa est, quo omnes uocantur ad
fidem & agnitionem Filij, in quem,
quotquot per Spiritum sanctum
credunt, & in ea fide permanent,
erunt hæredes uitæ æternæ.

X L I.

Deum non esse *προσωπολήπιον*,
sed æqualiter recipere omnes fide
confugientes ad Filium, scriptura
sacra multis in locis docet. Idem
Dominus est omnium, diues in om-
nes inuocantes se. Quisquis enim
inuocat nomen Domini, saluatur.
Et conclusit DEVS omnes sub
peccatum, ut omnium misereatur.
De hac *ἀπροσωποληψία*, qua om-
nes Deus accipit & gratis donat ui-
ta æterna, in Messiam credentes,
citra respectum meritorum uel alia-
rum conditionum, S. Petrus excla-
mat Actorum 10. In ueritate com-
perio,

DE PRÆDESTINAT.

perio, quia non est personarum acceptor Deus, &c.

XLII.

De hac uoluntate diuina, non est iudicandum ex lege, seu ratione humana, sed ex reuelato & perspicuo uerbo Dei, in quo Euangelij doctrina nobis dilucidè proponitur, & ex sigillis promissionum diuinarum à Deo additis, statuendum est de salute nostra & propria Dei erga nos uoluntate, sicut exemplum primorum parentum in Paradiso ostendit,

XLIII.

Etsi uero Deus ab æterno præuidet, qui sint ruituri, qui uero redituri ad Deum: tamen præuisio illa, nec pereundi necessitatem affert impijs, nec uniuersalem illam Dei uoluntatem tollit, mutat aut impedit, qua omnes in Christo elegit, cupiens non solum quantum ad uoluntatē suam attinet, saluari omnes.
Sed

DE PRÆDESTINAT.

Sed dolens serio ruere in pericula
aut exitia æterna ullos ex his, quos
Filius peculium esse uoluit. Quod
ipse testatur iurans, Viuo ego, nolo
mortem peccatoris &c.

XLIII.

Hinc & Augustinus recte dicit:
Nefas est Deo ascribere causas rati-
onum ruinarum, qui etsi ex æterna
scientia præcognitum habet, quid
uniuscuiusque meritis retributurus
sit, nemini tamen per hoc, quo falli
non potest, aut necessitatem aut uol-
untatem intulit delinquendi. Si er-
go à iusticia & pietate quis deficit,
suo in præceptis fertur arbitrio, sua
concupiscentia trahitur, sua persua-
sione decipitur. Nihil ibi Pater, ni-
hil Filius, nihil Spiritus sanctus, nec
in tali negotio quicquam diuinæ
uoluntatis interuenit, cuius ope sci-
mus multos, ne laberentur, reten-
tos, nullos autem, ut laberentur, im-
pulsos.

Et

DE PRÆDESTINAT.

XLV.

Et alibi inquit: Neminem Deus ad peccandum cogit, præuidet tamen eos, qui propria uoluntate peccabunt. Cur ergo non uindictet iustus, quæ fieri non cogit præsci- us? Sicut enim nemo memoria sua cogit facienda, quæ futura sunt, & sicut homo quædam, quæ facit, meminit, nec tamen omnia, quæ meminit, facit: Ita DEVS omnia, quorum ipse autor est præscit, nec tamen omnium quæ præscit, ipse autor est. Quorum autem non est autor malus, iustus est ultor.

XLVI.

Sciendum & hoc est: Etsi Electio in uoluntate Dei est uniuersalis in Christo, in quo elegit omnes saluos facere, sicut Petrus fatetur Act. 10. Tamen de hac à posteriori tantum iudicandum est, ut cum Paulo statuas, Et esse electos tantum in numero uocatorum. Et esse

C hos

DE PRÆDESTINAT.

hos, solos credentes Euangelio, sicut scriptum est: Quos elegit hos & uocauit, & Filius Dei ipse conque- ritur: Multi sunt uocati, pauci uero electi. Pauci enim credunt Euan- gelio, & accipiunt lætum Euangelij nuncium, sicut Christus Parabola docet, Matth. 22.

XLVII.

Etsi igitur ex hac impia & impu- ra colluue generis humani, colligat sibi Deus Ecclesiam, & indi- gnos peccatores conuertat: tamen in hoc cœtu uocatorum, non om- nes saluantur, sed tantum reli- quæ sunt electæ siue placent Deo, cum semper maxima pars uocato- rum, id est, audientium uerbum Dei, peccatis sese inuoluat, neque ueram & salutarem pœnitentiam agat, quod historia Ecclesiæ omni- um temporum confirmat.

XLVIII.

Manifestum est & illud, uocatos
&

DE PRÆDESTINAT.

& electos posse labi, & effundere
atque amittere gratiam Dei, nisi be-
nigna Dei uoluntate ad pœnitentiam
reuocentur. Sic Saul uocatus
& electus excussit fauorem Dei, &
dedidit se desperationi. Sic Salo-
mon horribili Idolatria sese polluit,
quamuis eum ad pœnitentiam re-
disse credibile sit. Sic Dauid post
lapsum, audiens concionem Na-
thanis, conuertitur ad DEVM,
qui antea excusserat Spiritum san-
ctum.

XLIX.

Scriptura etsi coniungit uocatio-
nem & Electionem, ut ex Pauli dis-
cto perspicuè cernitur: Quos elegit
hos & uocauit: tamen prudenter
discernendi sunt uocati, qui per
uerbum Euangelij, & Sacramenta
regenerati & Sanctificati sunt, inter
quos multi deficiunt à Deo, & in
exitium ruunt, Et Electi qui in
Christum credunt, & in hac fide,
C 2 usque

DE PRÆDESTINAT.

usque ad uitæ exitum perseuerant.
Nec de utrisque iudicandum est
alio modo, quam prius dictum est,
Nempe non ex arcana Dei uolun-
tate, sed à posteriore. Esse electos
solos illos, qui credunt in Filium, &
in hac fide permanent, iuxta illud:
Beatus, qui perseuerauerit usque ad
finem.

L.

Finis doctrinæ prædestinatio-
nis, reuelatæ in Euangelio, hic est,
ut bonitas Dei innotescat, qui uult
iuxta hoc consilium colligere Ec-
clesiam, siue cœtum Electorum, cui
beneficia amplissima, parta per Fi-
lium Mediatorem, gratis largiatur,
& contra tales habeat in Ecclesia
sancta, irreprehensibiles & sanctos
filios adoptitios, à quibus per Chris-
tum recte agnoscat & celebra-
tur, & ut ex hoc Euangelio omnes
credentes in Christum, certo statu-
ant, se uocatos & electos placere
Deo,

DE PRÆDESTINAT.

Deo, donatos esse salute æterna & glorificatione, non ex nostris meritis, aut bonis operibus, sed gratis ex misericordia Dei.

L I.

De hoc fine dicit Apostolus Ephes. 5. Elegit nos Deus in Christo, antequam iacerentur fundamenta mundi, ut essemus sancti & irreprehensibiles coram illo, per charitatem, qui prædestinavit nos, ut adoptaret in Filios, per Iesum Christum in sese, iuxta beneplacitum uoluntatis suæ, ut laudetur gloria gratiæ suæ, qua placatus est nobis in dilecto.

L I I.

Hæc autem uera Ecclesiæ sententia de *ELECTIONE*, quod æterna & immutabilis Dei sit uoluntas, ut omnes homines saluentur, sine ullius exclusione, congruens cum toto consensu Euangelij, & salutari

DE PRÆDESTINAT.

ris conscientijs, multis firmissimis
rationibus confirmari potest.

LIII.

PRIMA RATIO sumi potest à
creatione hominis; Certum est ho-
minem non ad interitum, sed ad æ-
ternam uitam & salutem à Deo esse
conditum. Hominem enim creauit
Deus, ad imaginem Dei uiuentis in
æternum, & ideo condidit ad glo-
riam & uitam, ut hanc suis æternis
bonis ornaret. Hæc fuit uoluntas,
hoc fuit consilium Dei, priusquam
crearet hominem, sicut testatur
Moses Gene. 2. & Apostolus Ephe.
1. quam uoluntatem non mutat, si-
cut ipse de se inquit: Malach. 3. Ego
Dominus & non mutor. Item,
Num: 23. Non est Deus quasi ho-
mo, ut mentiatur, nec ut Filius ho-
minis, ut mutetur.

LIIII.

SECUNDA est, à reparatione
gene=

DE PRÆDESTINAT.

generis humani. Vult Deus per Filium redimi totum genus humanum, & sibi per mortem & oblationem ipsius omnes reconciliari, ut omnes salui fiant, De hac voluntate Apostolus inquit: Qui dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus.

L V.

TERTIA est à dilectione Dei, qua totum genus humanum complectitur. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam.

L V I.

QUARTA est ex propagatione generis humani: Promissio edita est primis parentibus statim post lapsum. Primi autem homines tunc fuerunt totum genus humanum, quod ab ipsis deinde propagatum est, quod & ipsorum lapsu perditum

C 4 tum

DE PRÆDESTINAT.

tum fuit. Ergo & promissio, non solum ad primos homines uel aliquos, sed ad totum genus humanum pertinet.

LVII.

*Q*VINTA est à forma promissionis. Promissio gratiæ est uniuersalis, sicut dicitur ad Abrahamum, In femine tuo &c. quæ promissio in Prophetis sæpius repetita est uniuersaliter. Hinc Christus inquit: Venite ad me omnes. Et Paulus ait Rom. 3, Nunc Iustitia Dei sine lege manifestata est, uidelicet, iusticia per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes. Non est distinctio, omnes peccauerunt, & carent gloria Dei.

LVIII.

*S*EXTA est à collatione prædicationis poenitentiae & remissionis peccatorum. Prædicatio poenitentiae est uniuersalis. Deus enim omnes homines arguit, Igitur omnes
etiam

DE PRÆDESTINAT.

etiam uult recipere iuxta Euangelium, sicut Apostolus inquit Rom. II. Omnes conclusit sub inobedientiam, ut omnium misereatur.

LIX.

SEPTIMA à iureiurando sumitur. Deus enim iurat, quod omnes homines saluos fieri uelit, Viuo ego, inquit, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Non ergo uult aliquos abiectos, quod ad ipsius uoluntatem attinet.

LX.

OCTAUA à proprio Dei. Deus uerè iustus & uerax est, sine omni dolo & sine προσωποληψία. Non igitur ludit præstigijs, nec sunt in ipso constituendæ contradictoriæ uoluntates.

LXI.

NONA à mandato Dei. Illud enim ad omnes pertinet, ut agnoscamus Filium, sicut scriptum est,

C 5 Oscu

DE PRÆDESTINAT.

Osculamini Filium . Item : Hunc audite . Hæc mandata sunt uniuersalia , Promissio igitur simul est uniuersalis .

LXII.

DECIMA à mandato Christi uniuersali, docendi Euangelij. Mandatum docendi Euangelij & baptizandi, non est speciale, sed uniuersale. Ergo uult uniuersos, agentes pœnitentiam, credentes Euangelio & baptisatos saluare Deus, iuxta illud, Ite in orbem uniuersum &c.

LXIII.

VNDECIMA ab exemplo Christi, qui sæpius deplorat Iudæorum incredulitatem. Non igitur impij ad interitum, uoluntate Dei destinati sunt.

LXIIII.

DVODECIMA à testimonij scripturæ Sacræ & S. Pauli autoritate. Tota enim scriptura
ex

DE PRÆDESTINAT.

expresse testatur, Deum non esse
προσωπολήπιον, sed æqualem erga
omnes se æqualiter habentem, iuxta
normam, quam in uerbo propos-
uit, & iuxta quam omnes aut reij-
cit aut recipit. Nec nullæ hic ualent
prærogatiuæ, iuxta illud: Omnis,
qui credit in Filium, habet uitam
æternam. Qui incredulus est Fi-
lio, non habet uitam. Et Apostolus
diserte affirmat, 1. Timoth. 2. quod
Deus omnes homines saluos fieri,
& ad agnitionem ueritatis uenire
uelit.

L X V.

Tales & plurimæ similes ra-
tiones adduci possunt, quibus con-
firmatur hæc pia & uera sententia,
simpliciter Deum uelle, ut omnes
homines saluentur, & ne pereat ul-
lus.

L X V I.

Vitandæ igitur sunt & excuti-
endæ animis, periculosæ imagina-
tiones

DE PRÆDESTINAT.

tionem de Particularitate, quas opiniones stoicas uocamus, & S. Pater Lutherus Satanæ præstigias nominat, quæ hodie magni nominis astipulatores habent, scilicet DEVM non uelle saluari omnes, sed ab æterno quosdam fatali lege & stoica necessitate ordinasse ad interitum, quosdam uero elegisse ad uitam, hos facere uasa misericordiæ, illos uasa iræ, in uasis iræ seu impijs confirmare peccatum, nec posse saluari eos, etiamsi uelint & cupiant. Rursum illos, qui fatali lege electi sunt, non posse damnari nec deseriri à Spiritu sancto, etiamsi ruant cōtra conscientiam, sicut fingunt, Spiritum sanctum etiam in adulterio Dauidi affuisse, imo addunt, peccata etiam talibus operari ad bonum, cum sint electi.

LXVII.

Fingunt æternam esse & arcanam Electionem seu Prædestinationem,

DE PRÆDESTINAT.

tionem, qua Deus alios misericordia sua dignatur, alios uero seueritate iudicij sui exitio destinauit, ipsumque in illis, quos ab æterno elegit, tantum efficacem esse, ut salui fiant, alijs relictis & à salute exclusis. Dicunt conuersionis donum non omnibus commune esse, etiam quo ad uoluntatem Dei. Breuiter affirmant necessitate fatali uenire gratiam electis & interitum reprobis, iuxta arcanam Dei uoluntatem, qui quorum uelit, misereatur, & quos uelit induret.

LXVIII.

Hæ opiniones stoicæ, quas Lutherus uocat præstigias Diaboli, & laquei sunt conscientijs, & simul contumeliosæ in Deum, quantumuis magnifice commendantur à multis magni nominis, quasi in sacris literis magno consensu traditæ sint, quodque ad pietatem maxime congruant, fidem probe ædificent,
&

DE PRÆDESTINAT.

& nos ad humilitatem excitent, & in admirationem extollant, immensæ erga nos bonitatis diuinæ, & ad hanc celebrandam exuscitent.

L X I X.

Neque enim congruit aut conuenit his opinionibus stoicis, ulla ratione aut modo quod affirmant horum paradoxorum patroni: Cum intelligant pñ, se ab æterno Electos esse, Et electionem hanc esse sine pœnitentia & immutabilem, posse ipsos securitate & læticia maxima acquiescere in Dei bonitate, & de salute sua omnino esse certos, Aut contra cum uideant, multos perire, & salutis non fieri participes, metuere seueritatem iudicij diuini, & gratis animis agnoscere Dei erga se bonitatem & misericordiam. Nam hæc ferè sunt pigmenta præcipua, quibus stoica illa exornantur.

Multa

DE PRÆDESTINAT.

LXX.

Multa hæc sententia absurda continet, cum fundamento doctrinæ Christianæ ex diametro pugnantia. Facit enim Deum *πρῶτος ἰσχυρῶς*, id est, inæqualem & iniustum, quod non eadem uoluntate præditus sit erga omnes, statuit in Deo contradictorias uoluntates, inuertit promissiones diuinas, & ex uniuersalibus constituit particulares. Et cum audiunt homines, catalogum saluandorum & reprobandum scriptum esse ab æterno, multi perturbantur, & cum tristissimis dubitationibus conflictantur, an sint de numero prædestinatorum siue Electorum, & nunquam de salute certi esse possunt. Multi hinc Epicureum contemptum & prophanitatem induunt, ut nihil curent uerbum Dei & ministerium, & statuunt, si electi sint à Deo, ipsum tandem in eis fore efficacem, ut conuertantur

DE PRÆDESTINAT.

uertantur. Si autem non sint electi, inutile esse audire uerbum & pietati studere &c.

LXXI.

Affingitur etiam hoc, Deum efficaciter indurare & excecare impios, atque ita autorem peccati esse, & uelle tetra scelera Pharaonis, Saulis & aliorum. Quid magis in Deum blasphemum dici potest?

LXXII.

Hæc Stoica Paradoxa refutanda sunt ex uerbo reuelato, et de Electione statuendum est, ex diuinis reuelationibus. Non enim aliter de Dei uoluntate cogitandum est, quam Deus ipse se patefecit, & expresso uerbo, de uoluntate sua testificatur. Nec quærenda est uoluntas Dei extra uerbum.

LXXIII.

Etsi fatendum est, esse quædam arcana mysteria, de essentia & uoluntate

DE PRÆDESTINAT.

luntate Dei, quæ primum discemus
in altera uita ; Tamen nequaquam
ulli creaturæ aut homini conceden-
da est hæc oratio, Quæ ut fit in pa-
radoxis stoicis, affirmet contrarium
dictis, in uerbo reuelato traditis.
qualia sunt ; Non Deus uolens ini-
quitatem tu es. Item ; Hæc sunt
quæ odi, dicit dominus, &c.

L X X I I I I.

Omittenda igitur est imagina-
tio, de abscondita & arcana uolun-
tate Dei, cum uelit te intueri uer-
bum suum, iuxta illud: Lucerna
pedibus meis uerbum tuum: Item.
Oues meæ uocem meam audiunt.
Item, Sanctifica eos in uerbo tuo.
Verbum tuum ueritas.

L X X V.

Duplici autem modo particu-
laritas illa refutari potest. Primum
ex lege. Tota enim lex dicit. Deum
esse bonum & iustum, non esse au-

D totem

DE PRÆDESTINAT.

torem peccati, nec iniustum Tyrannum, apud quem sit *προσωποληψία*. Stoica uero, imaginatio, quæ sine uerbo arcanam Dei uoluntatem scrutatur, Deum autorem peccati facit, & iniusticiam ei tribuit. Est igitur manifesta blasphemia, contumeliosa in Deum.

L X X V I.

Deinde ex Euangelio illustris & perspicua est refutatio. Promissio enim Euangelij confirmato iure iurando Dei & sanguine Filij Dei uniuersalis est, offerens gratuitam remissionem peccatorum propter Filium, omnibus, sine ulla acceptance personarum.

L X X V I I.

Sicut Lex Dei seu concio iræ uniuersalis est, pertinens ad omnes homines: Ita & concio gratiæ est uniuersalis, pertinens ad omnes. Cur igitur fingimus particularitatem

tem

DE PRÆDESTINAT.

tem, quod promissio gratiæ in Ecclesia, ad illos tantum pertineat, quos Deus in arcana & abscondita sua sede, fatali illa lege prædestinauerit.

LXXVIII.

Est & hoc certissimum argumentum contra particularitatem, Filius Dei mortuus est, pro toto mundo, pro omnibus hominibus, 1. Iohan. 2. Non igitur fingendum est, Deum in arcano suo consilio, habere certum numerum saluandorum, uelut Parcarum tabulas.

LXXIX.

Vitandæ etiam sunt Enthusiasticæ imaginationes. Fingunt enim Enthusiasticæ, nihil hominem de salute sua statuere posse, sed expectandum ei esse tantisper, donec de cœlo diuinitus illuminetur, & uiolenter refingatur, aut obedire utcumque incipiat.

D 2 Hæ

DE PRÆDESTINAT.

L X X X.

Hæ Satanicæ illusiones, hæc pernicioſa ſomnia, animos ab expreſſo uerbo & Sacramentis abſtrahunt, & conijciunt, aut in Epicureas opinionones, aut in desperationem. Ac contra ſciunt pñ: Filium Dei audiendum, & uerbum eius amplectendum, & in eo acquieſcendum, per quod in accendenda fide eſt efficax, & non aliter, ſicut ſcriptum eſt: Euangelium eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti.

L X X X I.

Note Electionis, ſiue ſigna monſtrantia cœtum Electorum & ſingulos electos, ſunt: uox Euangelij, fides, uera Dei inuocatio, noua obedientia, uſus Sacramentorum & perſeuerantia.

L X X X I I.

Cum enim firmiſſimè credis in Filium Dei, agens pœnitentiam, quod

DE PRÆDESTINAT.

quod Deus te iuxta Euangelium suum, uelit esse saluum, & dedisse Filium in redemptionem pro te, & inuocas uerum Deum promittentem tibi salutem & uitam æternam propter Filium, credis etiam non solum promittenti & iuranti tibi uero Deo, sed & ungenti te Spiritu sancto, ac abluenti te sanguine Filij, & obsignanti te sacrosancta cœna, credentem iuuari petis, ut ad finem in fidei & conscientiaë bonæ militiã perseueres, certo hinc statuere potes, ex his ipsis signis, te esse membrum Christi & electum ad uitam æternam.

L X X X I I I.

His notis confirmatus, uincas præstigias Diaboli, ac statuens promissionem gratiæ uniuersalem esse, credas Christum pro te esse mortuum, Deum tibi in Christo esse propicium & recipi, non ex modo tuæ fidei, sed gratis ex misericordia.

D 3 Cumq̃

DE PRÆDESTINAT.

L X X X I I I.

Cumq̄ baptisatus sis, cum habeas Christum crucifixum & resuscitatum, cum habeas Euangelium, Sacramenta, absolutionem, & lucem de Filio Dei accensam in corde, id est, uere sis in cœtu uocatorum, nihil disputes an sis electus. Hæc enim sunt cœlestia illa signacula, quibus Filius Dei testimonium perhibet, te esse inter electos, quem saluum fieri uelit.

L X X X V.

De perseuerantia, quomodo in tanta naturæ nostræ imbecillitate, & in tantis Diaboli insidijs, usq̄ ad finem uitæ perseuerare possimus, teneant piæ mentes consolationem necessariam, quæ multis diuinis testimonijs repetita est, de auxilio Filij Dei reprimentis Diabolum & de firmitate Electionis.

L X X X V I.

Scris

DE PRÆDESTINAT.

Scriptum est enim Iohan. 10.
Oves meæ uocem meam audiunt,
& sequuntur me, & ego uitam eter-
nam do eis, nec quisquam rapiet
eas de manibus meis. Quia ego &
Pater unum sumus. Item Iohan. 14.
Non relinquam uos orphanos, sed
ueniam ad uos. Rogabo Patrem,
& alium Paracletum dabit uobis,
Spiritus ueritatis, manentem uo-
biscum ad omnem æternitatem.
Item Lucae 22. Ego rogavi pro te
Petre, ne deficiat fides tua. Item.
1. Corinth. 10. Fidelis est Deus, qui
non finit nos tentari supra uires, sed
dat cum tentatione robur, ut possi-
tis sufferre.

LXXXVII.

Hinc confirmati, *πληροφορία*
Pauli utamur Roman. 8. Si Deus
pro nobis, quis contra nos? Qui
etiam proprio Filio suo non peper-
cit, sed pro nobis omnibus tradidit
illum; quomodo non etiam cum

D 4 illo

DE PRÆDESTINAT.

illo nobis omnia donauit ? Item :
Certus sum, quia neque mors, neque
uita, neque Angeli, neque Principi-
patus, neque uirtutes, neque instan-
tia, neque futura, neque fortitudo,
neque altitudo, neque profundum,
neque creatura alia poterit nos se-
parare a dilectione Dei, quæ est in
Christo Iesu Domino nostro.

LXXXVIII.

Hic obiici solet dictum Acto-
rum 13, crediderunt, quotquot præ-
ordinati erant ad uitam æternam.
Ergo fatalis est arcana quædam ele-
ctio, seu particularitas apud Deum.
Responderi potest ex definitione
electionis, Quam certum est non esse
particularem aliquorum, sed totius
humani generis in Christo & per
Christum dilecti, & recepti post lap-
sum. Et data instantia ad allegatam
particularitatem, ex promissionum
uniuersalium inculcatione, illustris
est

DE PRÆDESTINAT.

est refutatio, ostendens non pugna-
re inter se promissionis uniuersalis
tatem, Et diuinæ sapientiæ in pro-
spicienda & determinanda creden-
tium salute bonitatem, de qua scri-
ptum est, Nouit dominus suos &c.
Alij sic respondent: Etsi est aliqua
electio, non tamen ea quærenda est,
in arcana Dei uoluntate extra uer-
bum, quod stoici faciunt, Nec in
nostra dignitate, quod Pelagiani fa-
ciunt: sed quærenda est, in solo Chris-
to, Filio Dei, propiciatore nostro,
de quo scriptum est, fecit nos dile-
ctos, in dilecto Filio. Item, Elegit
nos ante iacta fundamenta mundi,
Ephes. I,

LXXXIX.

Semper etiam coniungenda est
fides. Nulli enim electi in Christo,
sine fide, cogitandi sunt. Deinde si
dictum Lucæ, iuxta τὸ ῥῆτόν accom-
des ad stoicam prædestinationem,
tantum illos credere, qui ab æterno

D 5 in ar

DE PRÆDESTINAT.

in arcano Dei consilio præordinati sunt, & his tantum dari donum fidei, alios etsi audiuerint, credere tamen non potuisse, eo quod ab æterno non fuerint prædestinati, manifestum est, absurdam hanc sententiam pugnare cum omni uerbo Dei, & perniciosam esse pietati & saluti. Vult enim Deus omnes homines saluari, uult omnes uenire ad fidem & agnitionem Christi Mediatoris.

X C.

Recte dicitur, eos esse electos siue præordinatos ad uitam æternam, qui fide amplectuntur Christum mediatorem, & in hac fide ad extremum perseuerant. Etsi uero non sit uolentis nec currentis, sed Dei miserentis, ut Paulus inquit, & homo suis uiribus, naturalibus, in tota spirituali regeneratione, prorsus nihil conferat, nec conferre quicumquam possit, nec intelligendo ea
quæ

DE PRÆDESTINAT.

quæ sunt spiritus Dei, nec uolendo,
nec conando, nec præparando, uel
applicando se ad gratiam, sed bene-
ficio conuersionis sit solius Dei,
quam ipse & inchoat & perficit in
nobis, ut Paulus Philip. 2. inquit:
Deus est qui efficit ut uelitis & ut
perficiatis, ut ipsi grata fiant, om-
nesq; oues errantes, in toto genere
humano, ipse per uocem suam, in-
stituto ministerio uocet, trahat &
ad Filium deducat nos, quem *με-
σίτῳ ἢ ἐκέρῳ*, redemptorem &
propiciatorem proposuit, sitq; De-
us simul per ministerium efficax,
trahens etiam intus per Spiritum
sanctum, & mouens uoluntatem:
tamen manet hoc fundamentum,
Deum trahentem & mouentem
nos, sicut scriptum est: Nemo potest
uenire ad me, nisi Pater traxerit eum,
non cogere aut uiolento motu rap-
pere homines, sed ita trahere & mo-
uere, ut liberum sit uel assentiri uel re-
pugnare

DE PRÆDESTINAT.

pugnare, accipere uerbum uel contemnere, & abijcere, obedire uocanti & mouenti Deo uel non obedire, iuxta illud, Omnis qui audit à Patre & didicit, hic uenit ad me.

X C I.

Est igitur uoluntas Dei, ut uocem suam, qua nos uocat, trahit & mouet, non solum audiamus, sed & discamus, id est, cum aliquo studio cogitemus & meditemur, atque in hac cogitatione uerbi, ipse uult efficax esse, & nos ad se conuertit.

X C I I.

In hanc sententiam optime dixit Cyrillus lib. 4. cap. 6. in Iohannem: Non enim cum dicat, neminem posse uenire ad se, nisi Pater traxerit eum, ui quadam cogi trahique credentes putandum est, sed monitione, doctrina, reuelatione, ineffabiliter facta, ut ille solus uenit, qui dignos

DE PRÆDESTINAT.

gnos cognouit, Vnde intulit, Omnis qui audiuit à Patre & didicit, uenit ad me. Vbi enim auditus, disciplina doctrinaq; adest, ibi fides non ui, sed persuasione oritur. Patrocínio igitur Dei Patris, quod ex charitate dignis præstatur, non ui Christum fideles agnoscunt. Non enim possumus, secundum Ecclesiæ ueritatisq; dogmata, liberam potestatem hominis, ullo modo negare.

X C I I I.

Et S. Bernardus de gratia & libero arbitrio erudite ait: Tolle liberum arbitrium, & non erit, quod saluetur. Tolle gratiam, non erit, unde saluetur. Sicut enim Deus auctor est salutis, sic liberum arbitrium tantum capax est, nec dare illam nisi Deus, nec capere ualet, nisi liberum arbitrium.

X C I I I I.

Sic Augustinus de Spiritu & littera

DE PRÆDESTINAT.

tera cap. 34. ita docet: Profecto & ipsum uelle credere, Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia eius præuenit nos. Consentire autem uocationi Dei uel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ uoluntatis est, quæ res non solum non infirmat, quod dictum est (quid habes, quod non accepisti) uerum etiam confirmat, Accipere quippe & habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo, ac per hoc quid habeat & quid accipiat, Dei est: accipere autem & habere utique accipientis & habentis est.

XCV.

Non igitur uoluntas humana, in uocatione, prorsus est otiosa aut pure passiuæ, sed obedire debet uerbo, non repugnare, & assentiri Spiritui sancto mouenti per uerbum. Ac certum est in homine post lapsum

DE PRÆDESTINAT.

sum aptitudinem esse, qua renasci
& conuerti potest, quæ non est in
Saxo, iumento aut statua. Et natu-
ræ intelligentis, alias esse actiones
& motus, quam Brutorum & re-
rum inanimatarum, quis quæso in-
dubium uocabit?

XCVI.

An non promissio gratiæ est
uniuersalis, nec in Deo imaginan-
dæ sunt contradictoriæ uoluntates?
Cur ergo fatales finguntur tabulæ,
aut diuinæ potius prædestinationi
quam uoluntati nostræ tribuitur,
Quod illa causa sit, cur alij assenti-
antur promissioni, alij non assen-
tiantur?

XCVII.

An non in sanctis magnæ sunt
luctæ & difficilia certamina, ut pro-
missioni Euangelij assentiantur, de
quibus in quotidiana inuocatione
conuincimur? Hæc lucta non es-
set in Sanctis, si uoluntas uiolento
motu

DE PRÆDESTINAT.

moturaperetur, & ui traheremur ad
conuersionem.

XCVIII.

De peccato ad mortem, quod est
irremissibile, illud respondendum
est: Aliud esse peccare mortaliter
aliquando, & peccatum illud cum
dolore agnoscere, aliud in eodem
peccato furenter persistere, de quo
gradu loquitur Iohannes. Cum es
nim homo, peccans mortaliter, tota
mente agnoscit delictum, & intue-
tur Filium Dei, fide arripiens pro-
missiones Euangelij, de gratia ex-
uberante omne peccatum, & sta-
tuit, in Christo gratiam promissam,
maiores esse peccato totius mun-
di, peccatum illud est remissibile, ut
Petri exemplum docet.

XCIX.

De dicto S. Augustini contra
Pelagianos, fides est donum Dei,
quod ex 2. Thessal. cap. 3. sumpsisse
uide

DE PRÆDESTINAT.

uidetur, sciendum est, hoc non confirmari raptus, seu ad flatus fidei, quales Enthusiastæ fingunt. Etsi enim *FIDES* sine præeunte uerbo & Spiritu sancto, nostris uiribus accendi nequit, & recte dicatur, fides est donum Dei; Tamen eatenus nostrum etiam opus recte dicitur, quia instrumentum est, quo oblata bona accipimus, Cumq; non infundatur homini otioso aut nescio, nec præcurrat hæc Dei in nobis efficaciam uerbi cogitationem, sed requiratur uoluntatis nostræ obedientia, ut uerbū Dei audias, cogites, & Spiritus sancti auxilium à Deo petas, sic ea Dei opus esse dicitur, ut propterea ordo huius efficaciam non aboleatur aut euertatur. Nec efficaciam Dei ut causa antecedens, ab effectu, hoc est, fide ipsa, temporis, sed ordinis ratione ac respectu discernitur. Hæc congruunt dictis, Fides ex auditu est, auditus autem per

E

uer=

DE PRÆDESTINAT.

uerbum Dei. Item : Omnis qui aus-
dit à Patre & discit, is uenit ad me.
Trahit ergo Deus, cum annunciat
tibi per seruos Euangelium siue
consilium Electionis, quo ipso, &
non aliter cor alloquitur & tangit,
huius Euangelij fide & fiducia ad
preces te excitat, quibus gratiam,
auxilium, & illuminationem ipsius
implores. Hoc ergo cum audis, &
discis, ac fide amplecteris, noli ali-
um expectare tractum, noli con-
temnere oblatam gratiam, sed utere
presenti, & ora pro gratiæ augmen-
to. Ita postea omni habenti dabitur
& abundabit.

C.

Nec cogitatio de quantitate fi-
dei, certitudinem Electionis tollere
debet. Non enim uult Deus, te in-
tueri tua dona, quid in te sentias aut
deprehendas, sed uult te intueri Fi-
lium pendentem in cruce & clā-
mantem. Venite ad me omnes. Nec
gratiam

DE PRÆDESTINAT.

gratiam largitur pro mensura tuæ fidei, sed gratis uenit propter Filium, siue parua, siue magna sit fides. Idem manet Christus, eadem gratia, etiam cum habes fidem uelut granum sinapi. Matth. 17. ac dulcissima est consolatio de parua fide, quam Esaias tradit, quod Filius Dei filum fumigans foueat, non extinguat.

C I.

De gentibus, quæ longo tempore uixerunt, & nunc quoque uiuunt, sine omni noticia Christi, hoc respondemus, culpam non esse Dei, sed hominum, qui Ecclesiam non audiunt, nec Filium Dei inquirunt. Ac manifestum, uocem Euangelij pertinere ad omnes & proponi publice, & præcipere, ut omnes ad Filium Dei ueniant. Est igitur ignorantia affectata gentium. Nec Deus uult homines aliter conuertere aut saluare, quam per uocem

E 2 cem

DE PRÆDESTINAT.

cem Euangelij in Ecclesia, fide, gratis, propter Christum. Extra hæc nulla conuersio, nulla salus ullorum hominum, Xenophontis, Ciceronis, & similium cogitanda est.

CII.

Hæc sint dicta de libro uitæ, siue de Electione in *CHRISTO IESU*, cui omnes credentes inscripti sunt & destinati ad uitam æternam, ut per ipsum, qui est uia, uita, ueritas & resurrectio, certo salutem cœlestem consequantur, omnes sine discrimine, sine προσωποληψία qui in hunc Christum agnum Dei, tollentem peccata mundi, & datorem uitæ æternæ credunt, & in hac fide usq̃ ad extremum perseuerant, sicut Deus Pater ipse hac uoce testatur, Hic est Filius meus dilectus, quo delector, hunc audite. Et S. Petrus docet in Actis cum inquit: Non est aliud nomen sub cælo datum inter hominibus

DE PRÆDESTINAT.

homines, in quo oporteat nos saluos fieri, quam nomen Domini nostri Iesu Christi. Hunc redemptorem nostrum singuli ardentibus uotis inuocent, ut cum ipsi, uere unico uitæ nostræ fonti & preciosissimo libro, nomina nostra, per baptismum, sanguine testamenti sui, inscripta sint, per ipsum æternam uitam & salutem certo consequamur, & fide muniti & hinc euocati, propediem illucescente lætissima aurora nouissimi diei, iuxta normam & regulam huius libri in Euangelio reuelati, audiamus dulcissimam sententiam definitiuam, uenite benedicti Patris mei, possidete paratum uobis regnum à constitutione mundi. Nunc addenda est altera pars doctrinæ Prædestinationis, scilicet, sententia

uera de INDVRA

TIONE.

E 3 DE

DE REIECTIONE
SEU REPROBATIONE
IMPIORUM.

I.

Perspiciua est sententia de reiectione seu probatione impiorum, missa imaginatione, de fatali induratione, & cum de hac cogitamus, hic quoque mens auocanda est, ab imaginatione arcani fati & de uoluntate Dei iudicandum ex uerbo reuelato, Nam ex illo ut certum est solos illos esse electos & heredes uitæ æternæ, qui credunt in Filium, ita certo certius est eos uniuersos qui Filium Dei contemnunt aut negligunt, & furioribus peccati indulgent, à Deo reijci, & cum uolentes & scientes id faciant, sua ipsius malicia & impellente Diabolo indurari, eò quòd Spiritum sanctum respellunt, & potestati Diaboli se permittunt,

DE PRÆDESTINAT.

mittunt, sicut de Iuda dicitur, intra-
uit eum Satan.

I I.

Huic planæ & perspicuæ sen-
tentiaæ obstant in animis hominum,
cum imaginationes tum tentatio-
nes, de fatali reprobatione, ortæ ex
diffidentia, dicta etiam scripturæ ali-
quot, quæ fatalem illam induratio-
nem confirmare uidentur.

I I I.

Etsi uero magnitudo tanta est, ut
scopulos periculosos huius doctrinæ
effugere nemo possit omnino,
& satisfacere omnibus quæstioni-
bus & nodis in hac materia impos-
sibile sit; tamen quærenda est ueri-
tas, & retinendæ sunt sententiæ piæ
& salutare, ut uitentur blasphemix
& absurdaæ opiniones, contumeliosæ
se in Deum, perniciosæ conscientijs,
& noxiæ moribus, ac exoptanda est
cœlestis Academia, in qua coram

E 4 Filium

DE PRÆDESTINAT.

Filium Dei intuebimur, & ex ipso fonte omnis sapientiæ multa primum perdiscemus, quæ hic per umbram uidimus.

IIII.

Est autem REPROBATIO, arcanum decretum in mente & uoluntate diuina, patefactum in Euangelio, de deserendis & excludendis ab omni gratia & societate Dei, & in æternas pœnas abiiciendis ijs rationalibus creaturis, quęcunque aut in Filium Dei ingratae fuerunt, aut quæ initio lapsæ ex infirmitate, & postea reuocatae, dulcissima uoce Euangelij, uolentes perseuerant in sceleribus, contra conscientiam, & in tali contemptu & odio Dei ex hac uita discedunt.

V.

In hac descriptione reprobationis, abducendæ sunt mentes à periculosa & falsa scrutatione particularis abiectiois aliquorum, seu numeri
meri

DE PRÆDESTINAT.

meri certi, quem impossibile sit propter decretum, de reprobatione ipsorum factum, posse conuerti ad Deum & saluari, & alligandæ sunt mentes ad uerbum per Filium Dei prolatum & patefactum.

V I.

Ostendit enim uerbum Dei, omnes illos manere in morte, & abijci a Deo, qui cõtumaciter spreto Filio Dei & uoce Euangelij, in odio & contemptu illo perseuerant, & ad extremum ex hac uita decedunt, sicut scriptum est. Qui non credit, iam iudicatus est, & ira Dei manet super eum.

V I I.

Arcanum uero decretum dicitur, quod omnes huius diuini consilij causæ, neque in hac neque in futura uita inuestigari aut exhauriri possint, cur Deus homines & Angelos abiecerit, ruentes contra Filium

E 5 lium

DE PRÆDESTINAT.

lium Dei, horribili lapsu in æternas
pœnas, & rabies sit infatiabilis Dia-
boli aduersus Deum. Vnde hic
quoque exclamare licet: Quis cog-
nouit sensum Domini, aut quis
Consiliarius eius fuit? Item: O ho-
mo, tu quis es, qui ē contrario res-
pondeas Deo?

VIII.

Causa reprobationis interna in
Deo, & quasi *προηγουμένη*, est abun-
dantia amoris mutui in Patre & Fi-
lio, cum Nemese impatientia & ze-
lo, si decretum Electionis à crea-
turis uioletur, aut alterutra harum
personarum, contumeliosè tractes-
tur.

IX.

Causa *προκαταρκτική*, seu potius
immediata & propriissima causa,
Nemesin illam ardentem irritans,
& iram Dei iustissimam prouo-
cans, est in Diabolis libera defectio
& spontanea auulsio à Deo, imprimis
mis

DE PRÆDESTINAT.

mis uero contemptus & contumeliosa derisio & blasphemia Filij Dei, cum perseuerantia in hoc odio, & contumaci contumelia ac conatu indefesso, ægre faciendi Deo.

X.

Causa reprobationis hominum, irritans & prouocans iram Dei, fuit primus hominum lapsus, qui ipse quoque libera & spontanea desertio fuit & auulsio à Deo, addita tamen mitigatione & significatione clementiæ, si quis satisfaceret iusticiæ diuinæ pro hominibus, & Mediatorem benignissimum agnoscerent homines, ac fide beneficia eius acciperent & retinerent.

XI.

Sicut in doctrina de Electione perpetuo mente intuenda est regula, promissionem gratiæ esse uniuersalem & Deum uoluntate sua uelle omnes homines saluos fieri:
Ita

DE PRÆDESTINAT.

Ita in hac reprobatione, semper sit in conspectu hoc *κρίθριον*, Deum non esse autorem peccati, Deum nec uelle, nec adiuuare, nec confirmare peccata in Diabolis & hominibus, cum sit mens bona & fons omnis boni, sicut expresse scriptum est Psalmo quinto: Non Deus uolens iniquitatem tu es.

XIII.

Damnationis seu reprobationis causa in hominibus non est fatum, sed uniuscuiusque peccatum, iuxta illud, perditio tua Israël ex te est. Vnde & S. Basilius grauissime inquit: Etsi omnes determinationes Dei peruestigare non possumus: tamen immotum hoc *ἀξίωμα* semper infixum sit animis, nullum malum esse à Deo, qui sit fons boni, Et post longam disputationem, qua stoicas opiniones præclare refellit, tandem concludit inquit: Non necessario homo peccauit, sed propria

DE PRÆDESTINAT.

pria stultitia factus est talis. Propterea & peccauit improba propria uoluntate. Mortuus uero est propter peccatum.

XIII.

Omissa igitur imaginatione de fato, causa exitij & peccati in nobis quærenda est, non in Deo, qui nullo modo autor peccati, de quo etiam Plato sapienter scripsit, pugnantem esse omnibus modis, ne quis dicat, Deum esse autorem peccati, cum id nec pium sit, nec utile nobis, nec secum consentiat. Ac præclare dixit Clemens: Omnia potius dicam, quam Deum mentem æternam esse causam peccati.

XIIII.

Nec cogitandum est, ullas creaturas in hunc finem à Deo conditas esse, arcano ipsius consilio, ut scelerate peccatis sese polluerent, creatori suo aduersarentur, & statim ab
origi-

DE PRÆDESTINAT.

origine sua, æterna damnatione dignæ essent.

XV.

Gradus reiectionis in Ecclesia noti sunt: Omnes enim infantes, omnesq; adulti, ignari Filij Dei, rei sunt æternæ mortis, propter peccatum originis, & de Ethnicis, Scipione, Lælio, Aristide & similibus, tenenda est regula, Qui non credit in Filium, manet ira Dei super eum.

XVI.

Alij vero sunt in Ecclesia, qui Filium Dei norunt, & tamen uel contemnunt & repudiant ipsum, & promissiones ipsius, quæ cum Filio & per eum in Euangelio proponuntur uel contra conscientiam in peccatis persistunt, & finali impœnitentia, cum non resipiscant, in æternum exitium ruunt, sicut scriptum est: qui non credit Filio, iam iudicatus est, & ira Dei manet super eum. Item: Spiritus sanctus arguet

DE PRÆDESTINAT.

arguet mundum de peccato. Quia non credunt in me.

XVII.

Cum enim homo peccat contra S. Pauli regulam, quam omnibus electis & Sanctis, æternæ Ecclesiæ ciuibus præscribit. 1. Timoth. cap. 1. Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam, ac in hoc naufragio usque ad finem uitæ perseuerat, nec antequam ex hac uita discedit, rursus ad Filium Dei, uera pœnitentia conuertitur, certum est, talem inscriptum libro mortis, abijci in tota æternitate.

XVIII.

Dux enim tantum uix mortuis proponuntur: Conuersi ad Deum & credentes, retinentes fidem & bonam conscientiam usque ad finem uitæ, certo fiunt hæredes uitæ & salutis æternæ, iuxta illud. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

DE PRÆDESTINAT.

tur: Item, Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam uitæ. Item: Qui perseuerauerit usque ad finem, saluus erit.

X I X.

Qui autem non conuertuntur ad Deum, aut abijciunt fidem & bonam conscientiam, addita finali impœnitentia, naufragium facientes circa uitam & salutem æternam, abijciuntur in æternas pœnas, sicut expressissime docet Christus. Matt. 25. & uerba baptismi demonstrant. Nec media uia ulla post mortem proponitur.

X X.

Induratos igitur seu reprobos scriptura nominat eos, qui post agnitam ueritatem Euangelij, furenter, Diabolico odio, repugnant uerbo Dei, nec uolunt regi Spiritu Dei, sed locum dant Diabolo, sicut de Iuda scriptum est, intrauit in eum Satan.

Magnum

DE PRÆDESTINAT.

XIX.

Magnum est discrimen inter mortalia peccata horum, qui redeunt ad poenitentiam, & reproborum. Etsi Dauid peccat securitate & fragilitate carnis, impellente Diabolo: non tamen est hostis Dei, nec blasphemus contra Deum, & per poenitentiam redit ad Deum: Saul uero peccat affectato odio aduersus Deum, & fit hostis Dei, cum finali impoenitentia.

XXII.

Simile exemplum est Petri & Iudæ. Peccatum igitur Dauidis & Petri est mortale seu peccatum humanum. Saulis uero & Iudæ fuit diabolicum, & peccatum in Spiritum Sanctum. Hinc Saulem & Iudam scriptura reprobos seu induratos uocat.

XXIII.

Induratio uero non fit fatali necessitate, aut interiore diuina operatione,

F

ratione,

DE PRÆDESTINAT.

ratione, sicut Stoici fingunt: Sed indurantur impij, sua ipsius malicia, repellentes gratiam & Spiritum sanctum, ac toti sese permittentes Diabolo, sicut nauis naufraga, absq; remis & rectore fluctibus permittitur.

XXIII.

Ideo S. Augustinus prædicit in libro de Fide ad Petrum: Obdurus est siue qui non conuertitur, desperans de remissione peccatorum, ut Cain: siue qui sic misericordiam Dei sperat, ut usque in finem uitæ, in peccatis persistat, ut epulo diues: siue qui doctrinam ueram & filium Dei prorsus reijcit, siue qui manifestæ ueritati furenter resistit, ut Pharaon, & ueritate ac gratia Dei, impellente sic Diabolo, in furorem uertitur. Fit enim excæcatio, in impijs, ut in lippis, qui quo magis intuentur solem, & quo Sol est splendidior, eo minus uident. Non fit hoc
uitio

DE PRÆDESTINAT.

uitio solis, sed uitio oculorum. Sic Deus excæcat impios obijciendo uerbo, & accendendo magis atque magis lucem & gratiam suam, & ostendendo bonitatem & potentiam, sicut Pharaon sua ipsius malicia, eo magis in furorem uertitur, quo plura miracula pœnarum & liberationum offeruntur à Domino.

X X V.

Hæc propria est sanctorum Patrum Augustini & Lutheri sententia, qua constanter retinent fundamentum, Deum non esse causam peccati, nec operari in nobis peccata, Impios uero sua malicia repellere Spiritum sanctum, & fieri duriores, sua ipsius impietate, impellente Diabolo, & quo plus eis offeratur gratia & ueritas Dei, eo magis fieri peiores. Et hoc est, quod S. Paulus in Corinthiis docet, Christum impijs esse odorem mortis, scandalum, ruinam &c.

DE PRÆDESTINAT.

XXVI.

De dicto Mosis, cum inquit: In hoc excitavi te, ut in te ostendam potentiam meam, hoc tenendum est, loqui ipsum de sustentatione indurati Pharaonis. Ac Hebrææ phras̄is uis præcipue consideranda est: In hoc ipsum excitavi te, Hoc est, ut in Hæbreo proprie sonat, Regni, potentia, & sapientia gloriã tantam tribui tibi, ut uere rex florens & stans dici possis, ut quo maior tua putatur esse potentia tanto, conspectior mea sit te tuamque destruens.

XXVII.

Non dicit, Deum fatali lege operari peccatum in Pharaone, sed personam impiam sustentari à Deo, ut quo maior ipsius est potentia, sapientia & autoritas, eo illustrius Dei potentia conspiciatur.

XXVIII.

Sustentat Deus naturam post
lapsam,

DE PRÆDESTINAT.

lapsu, qualis est, Diabolo susten-
tat ad iudicium usq̃, ut interea col-
ligatur Ecclesia, Pharaonem, Saulem & similes impios aliquamdiu
sustentat, ut uel ad pœnitentiam eos
uocet, uel si pœnitere nolint, exem-
pla potentia suæ in illis ostendat.
Hæc interpretatio propria & natua
est, & nihil absurdi continet.

X X I X.

Non igitur intelligendum est de
interiore efficacia, quasi Deus ope-
retur peccatum in Pharaone, aut de
fatali induratione, sed tantum de
sustentatione, Vt sit sententia: Te
impium & induratum non tantum
seruauit, non statim pœnis te op-
pressi, sed gloria regni & potentia
antecellere & florere patior præ cæ-
teris, etiam orbis terræ Monarchis.
Et differo pœnas, ut potentia con-
spiciatur, ut toti hominum generi,
magnitudo bonitatis Dei, in feren-
dis peccatoribus innotescat. Con-

F 3 tra

DE PRÆDESTINAT.

tra uero ira & uindicta mea nota sit
obstinatis, simulq; misericordia, ue-
ritas & potentia Dei, in liberatione
Ecclesiæ.

X X X.

Hoc ut clarius explicetur, uerba
Augustini addemus: Nabuchodo-
nosor, inquit, pœnitentiam meruit
(hoc est, assecutus est) fructuosam.
Nonne post innumeras impietates
flagellatus pœnituit, & regnum,
quod perdiderat, rursus accepit?
Pharao ipsis est flagellis durior effe-
ctus, & periit, Hic mihi rationem
reddat, qui diuinum consilium ni-
mis alto sapienti corde diiudicat,
cur unum medicamentum unius
medici confectum, alijs ad interi-
tum, alijs ualuerit ad salutē, nisi quia
Christi bonus odor Deo, in omni
loco, alijs odor uitæ ad uitam, alijs
odor mortis ad mortem. Quantum
ad naturam, ambo homines. Quan-
tum ad dignitatem, ambo reges.
Quan-

DE PRÆDESTINAT.

Quantum ad causam, ambo populus Dei captiuum possidebant. Quantum ad poenam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit esse diuersos, nisi quod unus Dei manum sentiens, in recordatione propriae iniquitatis, ingemuit, alter contra Dei misericordissimam ueritatem libero pugnavit arbitrio? Hæc ille.

X X X I.

Argumentum quoque usitatum rectè explicandum est; Deus inquit ad Mosen, Indurabo cor Pharaonis. Ergo Deus est autor peccati. Item: Ergo Pharaon necessario peccat. Item, Ergo impossibile est Pharaonem posse conuerti.

X X X I I.

Respondemus; In hac argumentatione est fallacia figuræ dictionis: Verbum enim indurare, hebraica Phrasi, permissionem significat, ego sinam indurari. Indurat igitur Deus Pharaonem permissiue, non effectiue.

DE PRÆDESTINAT.

ctiue. Huius Phrasis exempla multa passim occurrunt, quæ testantur, sæpissime permissionem significari.

X X X I I I.

Quomodo fiat induratio, antea diximus : Deus impium Pharaonem aliquamdiu sustentat : Omnis potentia enim sua seruat aliquamdiu naturam unamquamlibet, qualis est. Deinde cum Pharaon non uult audire uerbum Dei, nec uult regi Spiritu Dei, deseritur à Spiritu Sancto, & totus est in suis cupiditatibus. Tandem fit reprobus, impellente Diabolo, & crescente in ipso malicia, finit eum ruere Deus, donec mensuram suam impleat, & iustas poenas luat.

X X X I I I I.

Quæritur & illud, an Pharaon necessario peccauerit, sicut stoici affirmant, omnia fieri necessario bona & mala? Respondeo : In uocabulo

DE PRÆDESTINAT.

cabulo necessitatis, multiplex est
ambiguitas. Alia necessitas est ab-
soluta, quæ pendet ab immutabili
uoluntate Dei, ut cum dico, Deus
necessario est iustus.

X X X V.

De hac necessitate, non potest
intelligi propositio, homo peccat
necessario. Manet enim immota
regula: Deus non est autor pec-
cati.

X X X V I.

Alia est necessitas consequen-
tis, quæ non pendet ab immota Dei
uoluntate, sed à præcedente causa
aliqua, ut homo peccat necessario,
non sic uolente Deo, sed quia na-
tura talis est, in hac prauitate, ut non
possit non peccare, sicut docent di-
cta: Natura sumus filij iræ. Item:
Sensus carnis est inimicitia contra
Deum. Item: Figmentum cordis
humani pronum est ad malum.
Figmentum cordis intelligo, non

F 5 ipsam

DE PRÆDESTINAT.

ipsam cordis aut carnis massam, in quantum Dei opus est, propagatum ac seruatum per generationem, sed deprauata illa, quæ nunc post lapsum massa illa fingit & gignit, ut Paulus *ὡς ἐὶ φρονήματα* loquitur.

XXXVII.

De hac necessitate consequentis, intelligenda esset propositio, si uera esset, Pharaon necessario peccauit. Cum enim natura mala sit, deserta à Spiritu sancto, impulsa à Diabolo non potuit non peccare.

XXXVIII.

Hinc uero nequaquam sequitur Deus præuidet obstinatam duriciem Pharaonis, Ergo necessario peccauit, & quidem necessitate absoluta.

XXXIX.

Ipsa enim Dei præuisio, nec causam nec necessitatem peccandi Pharaoni attulit, sicut Thales præuidens
&

DE PRÆDESTINAT.

& prædicens primus Eclipsim Solis in Aegypto, non est causa Eclipsis, quæ ex alia causa euenit. Sic scelera impiorum, quæ Deus præuidet, pendet ab alia causa, à uoluntate hominis & Diaboli.

X L.

Falsissimum igitur est dicere, omnia necessario fieri, & uoluntates hominum, uel ad uitia & scelera designanda, uel ad uirtutes & recte facta, inuitas etiam & pugnantes, impelli à Deo.

X L I.

De hac necessitate inquit Filius Dei Matth. 18. Necesse est uenire scandala, quod dictum sic enarrat Chrysostomus in Epistola ad Corinthios: Christus dicit, necesse est, ut ueniant scandala, non ideo arbitrij libertatem corrumpens, aut uitæ uim & necessitatem imponens: sed prædicens id, quod ex mala hominum uoluntate omnino
futu-

DE PRÆDESTINAT.

futurum est. Quod sane futurum est, non quia id Deus præuiderit, sed quia hominum uoluntas immeasurabilis fuerit, Non enim quia prædixit Deus hæc facta sunt, sed quia omnino ex mala hominum uoluntate uenturum erat, ipse prædixit.

X L I I.

Ad quæstionem, an possibile fuerit Pharaonem conuerti, recte illud respondemus: Fuit omnino possibile, quia cum contingens sit, non necessarium, ut hæctenus ostensum est, non conuerti Pharaonem, necessario etiam contingentis huius causam oportet talem statuere, quæ sua natura possit hoc & alio modo agere. Et nihil asseuerari impossibile: non tantum ex fundamentis ueris hæctenus traditis, sed exemplis etiam probatis Manasse & Nabuchodonosor colligi potest. Nec sequitur, rara sunt exempla
con=

DE PRÆDESTINAT.

conuersionis impiorum, Ergo nulla sunt. Verissimum enim est, impios, si furenter aduersentur uerbo Dei & agnitæ ueritati, iusto iudicio Dei tradi in reprobum sensum, & raro conuerti. Addenda tamen est hæc conditio, posse eos conuerti, nisi in illis furoribus perseuerent & finalis impœnitentia accedat.

X L I I I.

Nullum enim tam atrox est peccatum, quod non abluat sanguis Filij Dei, si pœnitentia & fide ad Deum redeas: iuxta dictum, Gratia exuberat omne peccatum.

X L I I I I.

Fuit igitur possibilis conuersio Pharaonis, quantum ad ipsum attinet, & quantum ad Deum. Quia si uoluisset ut poterat, & debebat ante desertionem, obedire uerbo, respexisset eum Deus oculis misericordiæ,

DE PRÆDESTINAT.

diæ, sicut respexit regem Babylonis cum Nebucadnezarem. Nunc uero impossibilis est hæc conuersio post lapsum, quo ad propositionem, idcirco tantum ea de causa, Quia uoluntas peruersa, deserta & in sensum reprobum tradita, non est reuersa ad Deum, Habentque se pariter Necessitas consequentiæ. Et hæc propositionum post factum seu impossibilitas seu immutabilitas uerius.

X L V.

Sicut Sol natura sua lucidissimus est, & illuminat omnia, quæ radijs uiuificis conspergit, & nullis non partibus hemisphæri terreni globi post exortum lumen communicat; excæcat autem imbecilles oculos, non ratione propriæ substantiæ, sed imbecillium oculorum uitio, qui tantum splendorem ferre non possunt; Ita DEVS per & propter
Chris

DE PRÆDESTINAT.

Christum nobis est iusticia & salus,
& recte Propheta Filium Dei uo-
cat solem Iusticiæ, per quem Deus
uenientem in hunc mundum om-
nes illuminat, multi tamen homi-
nes, quo magis uocantur uerbo
Dei ad pietatem & salutem, eo pe-
iores fiunt, magis indurantur, & ex-
cæcantur, & tandem pereunt, non
culpa Dei, sed propria incredulita-
te siue impœnitentia, cum resipisce-
re nolint, & oblatam Dei gratui-
tam clementiam & misericordiam
respuant.

X L V I.

Respondendum est hic simul ad
argumentum. Quæcunque Deus
futura esse præscit & determinat, ea
immutabiliter & necessario eueni-
unt. Præscientiam enim diuinam
falli aut errare est impossibile.

Omnia in tota rerum natura, om-
nia hominum dicta & facta, bona
&

DE PRÆDESTINAT.

& mala, fiunt Deo præsciente & determinante.

Ergo omnia bona & mala pariter immutabili & absoluta necessitate eueniunt.

X L V I I.

Primum in hoc argumento uocabula discernenda sunt, quæ in hac materia cognata sunt: Sapientia, Præscientia seu Præuisio Dei, Prouidentia, Dispositio, seu decretum Dei, Prædestinatio seu Electio & reprobatio.

X L V I I I.

Sapientia, seu scientiæ Dei fons siue genus omnium actionum diuinarum, est, qua omnia scit, æterna & temporalia, præterita, præsentia & futura, bona & mala, & uno conuultu nouit res omnes, sicut erant, sunt & futuræ sunt.

X L I X.

Præscientia seu præuisio Dei, est actio mentis diuinæ, quia omnia præ
præ

DE PRÆDESTINAT.

præscit, seu omnia bona & mala futura, necessaria & contingencia, certo præuidet.

L.

Prouidentia est actio Dei, qua non solum omnia cernit & futura præuidet, uerum etiam naturas rerum, à se conditas, conseruat, & generi humano præcipue, de omnibus rebus necessarijs prouidet, & bonos iuuat ac defendit, iniustos autem & sceleratos punit.

L I.

Dispositio seu decretum Dei, est actio mentis diuinæ, qua euentus futuros, ex uoluntate beneplaciti sui pendentes, non modo præuidet, sed etiam disponit & ordinat, & se ipsum effecturum seu adiuturum esse, certo decernit.

L II.

Hæc decreta sunt duplicia: Alia simpliciter & sine ulla conditione decernunt euentus, à sola uoluntate

G

Dei

DE PRÆDESTINAT.

Dei pendentes. Vt Deus ab æterno decreuit creationem mundi, missionem Filij, collectionem & instaurationem Ecclesiæ, resurrectionem mortuorum, extremum iudicium.

LIII.

Alia decreta Dei sunt conditionalia & mutabilia, quæ sæpe à Deo ipso retractantur. Sic omnia decreta diuina de pœnis, habent annexam conditionem pœnitentiæ, ut docet exemplum de euersione Niniuës, decretum de morte Ezechiaë regis, uaticinium Ieremiæ de captiuitate Babylonica Ierem: 38. quæ omnia perspicuè ostendunt, decreta diuina non esse fata stoica, nec omnia à Deo præuisa & prædicta, simpliciter & absolute immutabilia & necessaria esse.

LIIII.

Quid sit Prædestinatio, Electio & induratio antea monuimus. Ex
sacris

DE PRÆDESTINAT.

sacris literis uocabulum prædesti-
nationis, præcipue tantum de ho-
minibus pijs & propter Christum
ad uitam eternam electis intelligen-
dum esse, manifestum est. Nunc ar-
gumenti solutio addenda est.

L V.

Respondendum hinc est ad Mi-
norem, Discrimen est inter præ-
scientiam & prædestinationem.
Nam præscientia solam notitiam
rerum futurarum: Determinatio
uero non modo noticiam, sed etiam
uoluntatem seu decretum & dispo-
sitionem, de bonis actionibus, ius-
uandis & perficiendis: & malarum
actionum terminis constituendis
significat. Etsi igitur omnia, bona &
mala, pariter à Deo præuidentur:
tamen non prorsus simili & eadem
ratione determinantur.

L V I.

Aliter Deus determinat bonas

G 2 &

DE PRÆDESTINAT.

& salutares actiones, quas non modo præscit, & finibus ac metis certis circumscribit, uerumetiam uult, efficit & adiuuat, de quibus Apostolus loquitur, Ephes. i.

L V I I.

Aliter determinat peccata hominum, & scelera ac flagitia horrenda, quæ etiamsi præuidet: tamen non uult, nec approbat, nec efficit, nec adiuuat: Vt lapsum Adæ & Euxæ, adulterium Dauidis, crudelitatem Tiberij, parricidium Caracallæ, &c. Psal. 5, Soph. 3, Esaia 37.

L V I I I.

Aliter determinat Deus ea bona, quæ proprie & principaliter à sola Dei uoluntate pendent, & quæ ipse solus, nulla uoluntatum humanarum aut Angelicarum synergia concurrente efficere decreuit, ut creationem mundi, resuscitationem mortuorum, extremum iudicium &c,

DE PRÆDESTINAT.

&c. Aliter ea, quæ partim ab ipsius Dei partim ab humana uoluntate coniunctim pendent & efficiuntur, ut continentia Ioseph, beneficentia Abdemelech, & omnia opera reuolutorum.

L I X.

Sunt etiam aliæ determinationes & decreta Dei conditionalia, ut omnes promissiones Legis, & comminationes pœnarum. Alia sunt decreta simplicia & categorica, ut Christus mortuus tertio die resurget, Filius Dei iudicabit uiuos & mortuos.

L X.

Deinde ad maiorem ita responderi solet: Quæcunque Deus determinat seu præscit futura esse, ea certo & necessario euenient, scilicet, necessitate consequentiæ. Quia Deus ea præuidet euentura esse: sed non simpliciter & absolute necessario, seu non necessitate consequentiæ,

G 3 tis,

DE PRÆDESTINAT.

tis, quod sæpe sua natura mutabile est, & aliter se habere potuisset, nec contradictorium illius simpliciter fuisset impossibile.

L X I.

Etsi Deus præuidet & sustentat ac gubernat omnia : tamen ut in prima creatione res distinxit, & singulis suam naturam & modum agendi attribuit: Ita præscientia Dei & gubernatio creaturarum generalis, naturam rerum non mutat, sed singularum uim & modum agendi congruentem seruat.

L X I I.

Sic Solem præscit Deus ortu & occasu suo efficere & definire uicissitudines dierum & noctium. Iosephum uidet Deus sponte & libera uoluntate abstergere ab herili coniuge. Hanc actionem speciali actione efficit & adiuuat.

Dauis

DE PRÆDESTINAT.

LXIII.

Dauidem uidet sponte & libenti animo alterius coniugem rapere, & hanc actionem non uult efficaciter, nec adiuuat, sed auersatur & damnat, tametsi eam permittit. Nec præscientia diuina cogitur, ut alienum thorum contaminet.

LXIIII.

Etsi igitur præscientiam diuinam nec falli nec errare posse certum est: omnia etiam futura, bona & mala, præuideri à Deo, imo uelut præsentia cerni, inter omnes constat: tamen ut nostra præuisio rerum futurarum, aut inspectio rerum præsentium, uel scientia præteritarum, nullam futuris aut præteritis euentibus, necessitatem & coactionem affert: Ita præscientia Dei (qua peccata & scelera hominum præuidet) non coniuncta cum uoluntate beneplaciti, ut uocant,

G 4 seu

DE PRÆDESTINAT.

seu uoluntati efficaci, nullam aliam, quam consequentiæ necessitatem euentibus imponit, uidelicet certo euentura esse ea, quæ Deus futura esse præuidit, etiamsi sua natura sint contingentia, & aliter euenire poterint. Quod si aliter euenissent, eo etiam modo euentura illa esse, Deus præuidisset.

L X V.

Quæstio principalis est de qua responderi oportet, An si aliqua ponatur contingentia, seu aliqua ullis naturis tribuatur agendi libertas, ut effectus aliqui libere ac contingenter facti dici possint, maneat simul præuisionis ac prædestinationis diuinæ certitudo. Nam posito contingenti, quomodo non errat nec fallitur determinando? quia quod contingens est, hoc & alio modo fieri potest. Nulla ergo præuidentis aut determinantis certitudo esse uidetur? Sed responsio
per

DE PRÆDESTINAT.

perspicua & firma. Præuidet ac determinat Deus non tantum naturaliter & uno modo agentium motus & effectus, sed etiam liberarum naturarum, & præuidet, non primos tantum aut medios motus aliquo numero, sed primos, medios & ultimos sine numero, ac determinat tum primos tum medios tum ultimos, pro huius suæ sapientiæ immensitate & infinitate, nullam agentibus ipsis necessitatem imponens. Estq; certitudinis fundamentum ac basis principalis non liberorum seu contingenter agentium factum & euentus, sed hæc ipsa sapientiæ immensitas & infinitas.

L X V I I.

De dicto, Misereatur cuius uult, & quem uult indurat, multæ sunt disputationes. Simplicissima sententia hæc est: DEVS cuius uult misereatur, scilicet, omnis agentis

G 5 Pœnis

DE PRÆDESTINAT.

pœnitentiam, & fide confugientis ad Filium. Hæc est enim uoluntas Patris, ut omnis qui credit in Filium, habeat uitam æternam. Rursus uero indurat Deus quem uult, scilicet omnem non agentem pœnitentiam, non obedientem uerbo, sed furenter repugnantem, Deus iusto iudicio ruere finit & tradit in reprobum sensum, Id est, cum expellat Spiritum sanctum, permittit eum suis cupiditatibus, & proijcit eum à facie sua, etiamsi sit sapientissimus.

LXVII.

Particula igitur Miseretur, exponenda est iuxta Euangelium addita conditione fidei. Sic altera indurat, iuxta Dei iustum iudicium, quod in Euangelio reuelat Spiritus sanctus, intelligenda est addita conditione impœnitentiæ, sicut dixit Dominus, Qui non crediderit, condemnabitur.

Hinc

DE PRÆDESTINAT.

LXVIII.

Hinc cernitur perpetua Dei misericordia erga omnes, qui humili Spiritu ueniunt ad Filium Dei: Rursus uero Dei iustissima ira, aduersus omnes impœnitentes, qui Spiritu Dei regi nolunt.

LXIX.

Dictum Apostoli est uerissimum, non est uolentis, neque currentis, sed Dei miserentis. Iusticia enim salus & uita æterna non est nostri studiij, laborum, operum & uirtutum, sed est donum Dei gratuitum, per solam misericordiam propter Filium, communicatum omnibus qui Fide amplectuntur, non repugnant aut contemnunt.

LXX.

Recte etiam intelligatur, quod Paulus dicit, Deum præparare uasa misericordiæ ad gloriam, & Deum parare uasa iræ ad interitum.

Vasa

DE PRÆDESTINAT.

L X X I.

Vasa misericordiæ uocat electos, id est, credentes in Filium, uasa iræ nominat impios, qui propter peccata & ignorationem Christi, rei sunt iræ Dei, qui scientes & uolentes uerbo Dei aduersantur.

L X X I I.

Hæc præparatio fit iuxta decretum Euangelij, ita quidem, ut omnes qui in Filium credunt, habeant uitam æternam, qui non credunt, maneam sub ira Dei & maledictione Legis.

L X X I I I.

In hac præparatione omittas cogitationem de arcano fato, & scias in Ecclesia præparari electos ad honorem, id est, colligi eos uoce Euangelij, abstergi sordes peccati sanguine Filij Dei, & Spiritu sancto flecti corda ad obedientiam fidei, ut in uera conuersione & sensu peccati, fide ad Mediatorem confugiant, & in

DE PRÆDESTINAT.

& in ea fide iuuante Spiritu sancto
pie uiuant, iuxta dictum: Milita
bonam militiam, retinens fidem &
bonam conscientiam. Talia uasa
misericordiæ alias nominat Apo-
stolus, facturas & creaturas Dei,
præparatas ad gloriam.

L X X I I I I.

Sic uasa iræ, ad interitum &
contumeliam parat Deus, non ar-
cana lege, seu abscondita sua uolun-
tate, sed iuxta normam Euangelij,
id est, propter peccatum & impœ-
nitentiam, qua impij ruunt furen-
ter contra uerbum Dei, contem-
nunt Messiam, parat eos Deus ad
interitum, id est, iusto iudicio tradit
eos in reprobum sensum, ut sibi
iram Dei cumulent.

L X X V.

In hac præparatione nullo mo-
do excludenda est uis liberi arbi-
trij. Etsi uero in gratuita iustifica-
tione

DE PRÆDESTINAT.

tione plane excluditur liberum arbitrium, quod ad meritum attinet, & mere se passiuè habet homo, id est, nihil agit, nihil potest agere, ad promerendam gratiam, sed gratis per misericordiam Dei, propter Filium, sine omnibus meritis recipitur, sicut docet dictum: Gratia saluati estis, non ex uobis, non ex operibus, Dei donum est: tamen in apprehensione beneficiorum Christi, requiritur uoluntatis nostræ obedientia, ut uerbum Dei audiamus, uerbo Dei non repugnemus, & Spiritus sancti auxilium à Deo petamus.

L X X V I.

Ideo & Christus inquit, Quoties uolui te, & noluisti. Hoc est quod S. Augustinus de Prædestinatione sanctorum dicit, fidem esse ex parte nostram, maxima uero parte donum Dei. Est igitur in accipiente decretum Electionis aliqua causa,
non

DE PRÆDESTINAT.

non dignitatis, sed apprehensionis. Fides enim est ex auditu, & hæc promissionem apprehendit, cum qua Spiritus sanctus simul est efficax.

L X X I I.

Sic in Sanctificatione, quæ complectitur fidem & nouam uitam, non prorsus excludendum est liberum arbitrium. Non enim homo est trunco similis. Trahit nos Deus uerbo suo & Spiritu sancto, sed ita ut nos audire oporteat & discere, id est, apprehendere promissionem & assentiri, non repugnare, non indulgere diffidentia & dubitationi.

L X X V I I I.

Etsi miserum & semimortuum arbitrium, non potest conuerti ad Deum, nec credere in Filium, nec fructus fidei facere suis uiribus, sine præeunte lucerna uerbi Dei, sine gratia Christi & auxilio Spiritus sancti,

DE PRÆDESTINAT.

sancti, iuxta illud : Sine me nihil potestis facere. Item : Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei : tamen postquam semimortuum illud & spoliatum arbitrium, uerbo Dei & Spiritu sancto moueri & expergefieri cœpit, oportet id non repugnare furenter, sed humiliter locum dare Spiritui sancto, & in conuersione, agnita sua miseria & ira Dei ingemiscere, & fide oblatum donum gratiæ accipere, & in noua uita uerbo Dei obedire.

L X X I X.

Hæc omnia efficit Filius Dei, in hac misera massa peccati, & facit nos Spiritu militare, contra insidias carnis, mundi & Diaboli. Hic est Samaritanus ille, qui in uulnera miseræ, spoliatæ & semimortuæ naturæ, uinum & oleum gratiæ infundit, ac rudera libertatis in uoluntate, gratia & Spiritu suo, exuscitat & sanat.

In

DE PRÆDESTINAT.

L X X X.

In hanc sententiam scribit S. Augustinus contra Pelagium lib. 2. Christi uulnere, liberum nostrum curatur & informatur arbitrium uulneratum, qui auersos à se, gratuita gratia conuertit ad se, ut & Deo placeant operibus bonis, operatur in eis & uelle & posse, quorum cursum in hac uita, propter futuram ueram uitam, misericordia præueniendo & subsequendo perficit.

L X X X I.

Eodem in loco inter cætera inquit: A die aduentus sui Dominus, qui uenit sanare uulneratum iacentem, usque ad diem reditus sui, quo iudicaturus est mundum, stabulario curam habere iubet sibi traditi sauciati, significans, quod à die, quo datur homini à Deo per motum misericordiæ eius, non per meritum, quod in uulnerato non inuenitur,

H ut

DE PRÆDESTINAT.

ut sanetur, usq; ad diem assumptionis eius sub cura, nisi gratia fuerit, ad perfectum peruenire non possit.

L X X X I I.

S. Pauli dictum, Fides non est omnium, non confirmat raptus seu adflatus fidei, quales Enthusiastæ fingunt, sed deplorat impietatem & contemptum Filij Dei, in maxima parte hominum, congruens cum illo, Rom: 10. Non omnes credunt Euangelio: Item cum illo Christi. Multi uocati pauci uero electi. Matth, 22.

L X X X I I I.

Nec ad stoicas opiniones trahendum est Rom: 12. Deus distribuit unicuiq; secundum mensuram fidei. Dictum enim nō loquitur de fatali electione, sed de gradibus & diuersitate donorum in sanctis, sicut & illud, 1. Corinth, 12. Idem Spiritus operatur omnia, diuidens singulis

DE PRÆDESTINAT.

gulis pro ut uult: Hæc diuersitas
donorum non impedit gratiam
apud Deum, nec propter dona placet
persona, sed gratis placet in Fi-
lio.

L X X X I I I I.

Nec uult Deus te intueri tua
dona, quid in te sentias aut depre-
hendas, sed uult te intueri Filium,
pendentem in cruce, & clamantem.
Venite ad me omnes. Matth: II.
Nec uult te curiose metiri quanti-
tatem tuæ fidei, cum gratia non pro
modo & mensura tuæ fidei, sed gra-
tis detur propter Christum, siue par-
ua siue magna sit fides. Idem enim
manet Christus, eadem gratia.

L X X X V.

Ac de parua fide extat dulcissi-
ma consolatio, quod Filius Dei cas-
lamum quassatum non confringat,
filum fumigans non extinguat, sed
foueat, Esaiaë 42. & ipse Matth. 17.
promissionem amplissimam tradi-

H 2 dit,

DE PRÆDESTINAT.

dit, ut cogitationem de quantitate fidei animis eximat: Si habueritis fidem ut granum Sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit uobis,

L X X X V I.

De hac doctrina grauissime disputat Apostolus Rom. nono, cuius scopus hic est: Refutat Iudaicas opiniones de propria dignitate, & asseuerat, Ecclesiam & Filios Dei esse omnes credentes promissioni, & donatos Spiritu Sancto, qui ex Deo renati sunt, non qui ex carnali propagatione sunt filij Abrahamæ, sicut & Iohannis primo scriptum est: Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex uoluntate carnis, neque ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt,

L X X X V I I.

Hanc sententiam probat primum

DE PRÆDESTINAT.

num exemplo Isaac, quo etiam Galatas quarto utitur, qui ex effœta Sara, uirtute promissionis, contra naturæ ordinem natus est. Sicut autem in gente Iudaica hi soli filij Abrahamæ habiti sunt, qui ex Sara & Isaac nati sunt: Ita in Ecclesia coram Deo Filij promissionis tantummodo reputantur Filij Dei, qui Fide credunt promissioni gratiæ, sicut Paulus expresse dicit: Non filij carnis Filij Dei, sed filij promissionis.

LXXVIII.

Alterum exemplum sumit à Iacob & Esau, filijs Rebeckæ, inter quos etsi quo ad dignitatem & merita, adhuc in utero existentes, nullum sit discrimen: tamen Deus discernit hos fratres pro sua uoluntate, Iacob diligit, Esau odio habet. Diligit Iacob non propter carnalem propagationem, aut merita aliqua, sed gratis ex sola misericordia. Docet igitur hinc Paulus, propositum

DE PRÆDESTINAT.

tum Dei, id est, decretum Euangelij de saluandis hominibus maneratum, secundum gratuitam electionem, non secundum merita operum, sicut inquit: Non ex operibus, sed ex uocante dictum est, maior seruiet minori. Item, Deum secundum decretum Euangelij, saluos facere homines indignos ex sola gratia, qua nos in Christo elegit, & uerbo uocat ad agnitionem Filij, & saluari eos, non qui dignitate sanguinis, primogenituræ aut operum meriti præstant, sed qui per misericordiam à Deo eliguntur in Christo.

L X X I X.

In his exemplis seruanda est communis regula: Simile non est per omnia simile. Vult enim S. Paulus in receptione indignioris Iacob, ponere ob oculos misericordiam Dei, & refellere opiniones proprii meriti

DE PRÆDESTINAT.

meriti, non uult confirmare fatalem
stoicam electionem.

X C.

Discrimen inter Ismaëlem &
Isaac, inter Iacob & Esau facit sola
uocatio, electio seu promissio Dei.
Ismaël & Esau confidunt suæ car-
nali natiuitati, & superbiunt de iure
primogenituræ, non audiunt sed
contemnunt Deum, per promissio-
nem ipsos uocantem & eligentem
ad hæreditatem uitæ æternæ, sunt
sine timore, fide & dilectione Dei,
ac tantum natiuitate carnali, suis o-
peribus & meritis confidunt. Ideo
ab hæreditate excluduntur.

X C I.

Isaac & Iacob contra obediunt
Deo, ipsos per promissiones, ad hæ-
reditatem æternæ uitæ uocanti &
hac fide remissionem peccatorum,
propter semen Abrahæ promissum,
accipientes, simul per Spiritum san-

H 4 ctum

DE PRÆDESTINAT.

ctum regenerantur, ut non modo secundum carnem sint filij & semen Abrahæ, sed secundum renascentiam spiritualem, fiant filij & hæredes promissionis & uitæ æternæ gratis, ex solo Deo uocante, eligente, promittente & misereunte, sine ullis suis meritis, cultibus, sacrificijs, aut alijs operibus.

X C I I.

Non enim Isaac & Iacob, sunt dilecti à Deo, sine agnitione & fide Mediatoris seminis Abrahæ, in quo benedicendæ erant omnes gentes, sed fide huius promissionis, gratis, per misericordiam & futuram remissionem Filij Dei, sunt iusti & hæredes Dei, qua fide sola nunc exhibiti Mediatoris & redemptionis factæ, nos iustificamur & saluamur, iuxta illud. Non est in alio salus, nec aliud nomen sub cœlo datum est hominibus, in quo nos saluos fieri oporteat, Act. 4.

Fundas

DE PRÆDESTINAT.

X C I I I.

Fundamentum igitur ueræ Ecclesie, quo nititur, non sunt merita, sed gratuita misericordia, electio, uocatio, seu promissio Dei, fide in Mediatore apprehensa, qua fide Ecclesia cum singulis suis membris renascitur, & fit sancta imputatione & renouatione per spiritum sanctum, & donatur hæreditate uitæ æternæ.

X C I I I I.

Quæstionem hinc mouet Apostolus, an iusticia sit apud Deum? cur Deus diligat Iacob & abijciat Esau adhuc existentes in utero materno? cur Saulem reijciat, & Dauidem acceptet, cum uterque sit homo peccator? Cur perdat Iudam & seruet Petrum, cum in utroque hæreat peccatum? Cur non omnes condemnentur aut saluentur, cum ex æquo peccent, & careant gloria Dei?

H 5 Ad

DE PRÆDESTINAT.

XCV.

Ad hanc quæstionem, duplici modo respondet, primum sumpto argumento à maiestate & potestate diuina, saluandi pios & perdendi impios. Deinde per similitudinem sumptam à figulo, reiiciens simul omnes periculosas disputationes. Docet sententia sumpta ex 33. cap. Exodi, Miserebor cui uolero &c. Deum esse iustum, qui iuxta Euangelium, gratis, per misericordiam, æqualiter recipiat omnes pœnitentiam agentes, & fide confugientes ad Filium, & abiiciat omnes, æqualiter, non agentes pœnitentiam. Sicut enim in ueteri Testamento misertus est Moisi & populi Israëliti, non ex merito sed ex gratia, quem non sicuti Pharaonem & populum Aegypti perdidit: Ita quod aliqui seruantur, & ex immunda massa humani generis colliguntur, ut sint populus Dei & hæreditas

DE PRÆDESTINAT.

reditas Filij, hoc non habent ex suis meritis aut dignitate, sed ex sola gratia & misericordia Dei, qui miseretur, quorumcumque miseretur.

X C V I.

Quod igitur Iacob diligitur, Petrus non condemnatur, quod nos agentes poenitentiam & credentes in Christum, peccatores manentes usque ad finem uitæ, non condemnatur, non est tribuendum nostris meritis & dignitati, sed soli misericordiae Dei, qui promisit, se uelle misereri eorum, qui sint credituri in Filium, sicut scriptum est Iohannis cap. sexto. Hæc est uoluntas cœlestis Patris, ut omnis, qui credit in Filium, non pereat, sed habent uitam æternam.

X C V I I.

Nec dictum illud, Misereor, cuius misereor, distributiue est intelligendum est de particularitate, sed colle-

DE PRÆDESTINAT.

collectiua est uniuersalis. Est que insignis asseueratio, de immensa & gratuita misericordia Dei aduersus opinionem proprii meriti, qua testatur Deus nos non recipi, propter ulla merita, nec lege fatali, quæ Deo προσωποληψίαν tribuit, sicut Enthusiastæ & Pelagiani uolunt: sed gratis per solam misericordiam Dei. Quasi dicat Deus: quoscunque recipio, hos tantum per misericordiam recipio, gratis, sine omni dignitate. Hanc esse natiuam sententiam, cum in Paulo tum in Mose, docet & contextus & genus sermonis apud Ebræos. Idem docet parabola, Matth. 20. de operarijs in uineam conductis, ubi merces non secundum debitum, sed secundum gratiam persoluitur. Vbi æquale meritum est, iusticia est, æqualem mercedem reddi operarijs. In Esau & Iacob, latrone conuerso, & altero blasphemio non agente

DE PRÆDESTINAT.

gente pœnitentiam, nullum est meritum, cum nihil boni fecerint. Ergo Deus neutri quicquam debet, ac solius gratiæ & misericordiæ est, quod gratis recipit, confugiens ad ipsius misericordiam, per Filium Mediatorem.

XCVIII.

Eodem prorsus modo Ecclesia colligitur & nos omnes diligimur, recipimur & saluamur, uidelicet, gratis, ex sola misericordia, propter solius Christi meritum & intercessionem. Ac plenum est consolationis, quod iusticia & salus non in nobis, sed in Dei misericordia fundata est, quæ certa & infinita, & omnibus fide Filium amplectentibus, promissa est.

XCIX.

De impijs hoc tenendum est, ipsos perire tantum suo merito & nulla Dei culpa, Sunt enim in peccatis

DE PRÆDESTINAT.

catis concepti & nati, sunt rei iræ & mortis Ephe. 2. & postea ad hoc ipsum peccatum addunt multa alia horrenda actualia peccata, quibus iram Dei cumulant, & pœnas merentur, nec obediunt Deo, uocanti ipsos per uocem Euangelij, ad pœnitentiam & æternam uitam. Non igitur Dei culpa, sed sola libera uoluntate, qua ad impœnitentiam abutuntur, impij pereunt.

C.

Recte intelligatur dictum Proverb. 16. Omnia facit Deus, propter sese, etiam impium ad diem malum. Omnia enim facit propter sese, scilicet ut homines ex creaturis agnoscant eius potentiam, sapientiam, iusticiam & bonitatem, & inde eum glorificent & celebrent, Roma. 1. facit etiam impium ad diem malum, id est, facit, ut qui per se & sua natura malus est, non Dei culpa,

DE PRÆDESTINAT.

culpa, in die malo, id est, iræ & uindictæ diuinæ, sit testis, Deum esse iustum, punientem scelera & impietatem. Sic dictum apud Esaiam. Ego sum Deus, creans bonum & malum, intelligendum est, de malo poenæ, non culpæ. Iustitiæ enim Dei est, ut reddat unicuique, iuxta opera sua.

C I.

Alteram responsionem sumit Paulus ex similitudine de figulo per concessionem, alludens ad locum Esaiæ cap. 45. sicut uasa non possunt exostulare cum figulo: Ita etsi impij ad interitum creati essent, non possent exostulare cum Deo creatore suo. docet hac similitudine, unam & eandem esse massam humani generis, peccato uitiatam & deprauatam, iuxta dictum: Figmentum humani cordis malum est a pueritia. Item Deum in eadem massa, ha-

DE PRÆDESTINAT.

sa, habere duos cœtus humani generis, alios pios, qui sunt uasa misericordiæ, præparata à Deo ad gloriam, alios impios, qui sint uasa iræ, parata ad contumeliam & interitum.

C I I.

Hæc præparatio ita intelligenda est, ne Deo tribuatur causa peccati, & ne tollatur uniuersalis promissio gratiæ. Omnes enim qui in Filium credunt, habent uitam æternam. Qui non credunt in Filium Dei, manent sub ira Dei.

C I I I.

Deus non est autor peccati, aut quemquam ad peccandum cogit aut impellit, nec uult peccatum, cum peccatum sit id, quod cum Lege, quæ æterna norma mentis diuinæ est, pugnat. Et hominem condidit in innocentia, ad immortalitatem & æternam gloriam, non ad peccandum, ignominiam seu interitum,

DE PRÆDESTINAT.

teritum, sed serpens deformauit per peccatum massam illam terræ pulcherrimam, & ex uase innocentiae, uitæ & gloriæ, fecit uas peccati, mortis & interitus.

CIIII.

Nequaquam dicit Apostolus, impios seu uasa iræ à Deo parari, sed parata aliunde à Diabolo uidelicet & propria uoluntate & duricia, in misericordia multa perferri, ut contemnant uerbum Euangelij, & uerbo uocanti ad poenitentiam obedire nolint, conspectior sit Dei in his puniendis ira, iusticia & potentia. At de pijs seu uasis misericordiae dicit, illa non ex suis meritis, sed ex sola misericordia Dei in gloriam ipsius præparari, cum uocat ipsos per uerbum ad poenitentiam, & obedientibus Euangelio gratis remittit peccata, propter Filium Mediatorem, imputat iustitiam

I am

DE PRÆDESTINAT.

am donat Spiritum sanctum & uitam æternam,

C V.

Extruuntur tamen ex hac similitudine duo argumenta, pro stoica necessitate, quorum prius est: Voluntati diuinæ quis resistet? Ergo diuina coactione homines impelluntur ad peccandum. Respondeo: Non ualet consequentia. Est enim fallacia Accentus. Affirmatiuæ interrogationes, per contrarium negatiue significant. Reprehendit Apostolus audaciam & diffidentiam humani cordis, quæ contumelias contra Deum spargere audet, & monet & hortatur ut stoicas opiniones de fatali necessitate uitemus, inquit: O homo tu quis es, qui cum Deo litigas, Quasi dicat, pudeat te stultum & putridum uermem tuæ superbix & audacię, qua Deum ex cœca hypocrisi & diffidentia, iniusticiæ & Tyrannidis accusare audes.

DE PRÆDESTINAT.

des. Fugias igitur præstigias illas
Diaboli, & uoluntate Dei reuelatæ
humiliter obedias.

C V I.

Alterum argumentum tale est.
Figulus habet potestatem ex eoa-
dem luto faciendi uas aliud ad hon-
norem, aliud ad contumeliam. Er-
go Deus fatali lege, ex eadem mala
massa, creat alios bonos, ut sint tem-
pla Dei, alios creat malos, ut sint
cloacæ Diaboli. Sic enim fingunt
Stoici & Manichæi, Deum uelut
Tyrannum, hanc miseram natu-
ram, partim condidisse ad interi-
um & contumelias, partim ad glo-
riam, &c.

C V I I I.

Cohæret hoc simile cum priore
refutatione, blasphemæ uocis, qui-
ritantis, cur non singulos cogat De-
us, siquidem uoluntati ipsius nemo
resistere potest. Hic ut refutatio il-
lustrior sit, simili potius quam alia

I 2

respons

DE PRÆDESTINAT.

responsione utitur, concedens quasi
antecedens huius queritationis, ut
postea cum id similitudinis euiden-
tia refutatum concidat, nulla ampli-
us queritationis causa reliqua appa-
reat. Vult enim ita dicere Apосто-
lus. Esto cogi aliquos à Deo, ut
mentes blasphemix queritantur. In-
de tamen nequaquam sequeretur,
omnes necessario cogendos esse.
Multo uero minus sequitur, habere
aduersus Deum querimonix caus-
sam eos qui non coguntur. Id simili
demonstrari potest: Non potest cogi
figulus, ut uel honoris uel igno-
minix uas formet ex luto. Nec des-
bitor est luto, ut hoc uel alio modo
eo utatur. Ita multo minus homini-
bus debitor est, aut cogi ab his po-
test Deus, ut quemquam hoc aut
alio modo formet, nec causam que-
rimonix haberes, etiamsi uerum es-
set, quod stulte & falso fingis, alios à
Deo cogi ad credendum, cæteros
negli-

DE PRÆDESTINAT.

negligi &c. Hæc natiua est sententia Apostoli, ex qua cum tantum ad concessionem simile adducatur, nequaquam simplex asseueratio sequitur.

CVIII.

Ad quæstionem mentis curiosæ, cur Deus uoluntatem hominis flexibilem, & non uno & eodem modo, necessario bene agentem, considerit, responderi potest, uoluisse Deum uoluntariam & spontaneam obedientiam sibi à genere humano præstari, ut tanto conspectior & nobilior esset obedientia, non coacta, sed libera uoluntate suscepta, sicut Deus ipse omnia libere & uolens agit, uere liberrimum agens, non alligatus causis secundis.

CIX.

Sed ad has & similes quæstiones, cur Deus permiserit hominem labi & peccare, cur Deus uoluntates diabolorum & damnandorum, pec-

I 3 cati

DE PRÆDESTINAT.

cati seruas, non conuertat, & a seruitute peccati liberet, cum sit omnipotens. Diuus Augustinus respondet, altiora nobis non esse scrutanda, nec arcana consilia gubernationis diuinæ, & non patefacta expresso uerbo Dei inuestiganda esse, sicut & S. Paulus tales quæstiones abruptit Rom. ii. O profunditatem diuitiarum & sapientiæ ac cognitionis Dei, &c.

C X.

Etsi uero Deus naturam talem esse sinit, qualis post lapsum facta & corrupta est, nec nouum condidit hominem, ac manet in natura malum originis opus Diaboli: tamen mittit Filium, ut per ipsum erigatur cornu salutis, per uerbum Euangelij, & non alio modo, colligatur, sanctificetur, seruetur & saluetur Ecclesia, & hinc immensa eius misericordia, toti generi humano, magis innotescat, qua etiam tolerat impios

DE PRÆDESTINAT.

pios & induratos, ut bonitate ipsius
& longanimitate ad pœnitentiam
inuitentur.

C X I.

Hæc est simplicissima sententia
nostrarum Ecclesiarum, de Electio-
ne & reprobatione, munita certissi-
mis testimonijs scripturæ sacræ, in
qua cum timore Dei, consideremus
tristissimam prauitatem & malici-
am naturæ humanæ, ac Tyrannidem
diaboli, imprimis hoc triste malum,
quod homo auertens se à conditore
suo, non uult regi Spiritu Dei, sed
sciens, uolens & sponte locum dat
Diabolo, simulq; nobis propona-
mus ingentem bonitatem & lon-
ganimitatem Dei, qui concedit no-
bis spacium pœnitentiæ, tolerat a-
liquamdiu uasa iræ, uocat nos ad
agnitionem misericordiæ suæ, &
tandem, iusto iudicio, in reprobum
sensem tradit, & seruituti diaboli per-
mittit, qui Spiritu sancto regi nolūt.

I 4 Postre



DE PRÆDESTINAT.

CXII.

Postremo sicut Dauid intuens hoc iustissimum Dei iudicium, precatur ardentibus uotis, Ne proijcias me à facie tua & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me: Ita nos singuli uigilemus & oremus, ne intremus in tentationem, ne in hac oppressi nos sinat Filius Dei, sed perpetuo sanctificet & accendat cor nostrum Spiritu sancto, ut uere agnoscamus immensam ipsius misericordiam, & inenarrabilia beneficia in ipso donata & promissa omnibus credentibus, & perpetuo simus organa misericordiae, ac domicilia Spiritus sancti, & ad electorum cœlestis Academiae societatem translati, in æternum saluemur, & Dei consuetudine perpetuo fruamur,
Amen.

Epistola

DE PRÆDESTINAT.
EPISTOLA SANCTI
Patris Lutheri, consolationis causa
scripta, ad personam tentatam
de Prædestinatione.

GRatiam & pacem in Christo,
Indicavit mihi carissimus tuus
frater Hieronymus VVellerus, te
maxime uexari tentationibus de
Prædestinatione, quod uere doleo,
Christus Dominus noster te libera-
ret, Amen. Notus enim mihi est hic
morbus, inq̄ hoc cum periculo
mortis æternæ luctatus sum. Iam
præter meas preces consulerem tibi
aliquid & solatia præstarem, sed
omne id, quod in tali causa scriptis
agitur, infirmum est. Quantum ta-
men possum, prætermittere non de-
beo, si Deus gratiam largiatur, &
commemorare uolo, qua ratione
ego à Deo sanatus sim, quibusque
remedijs me sustentem. Principio

I 5 illud

DE PRÆDESTINAT.

illud in corde statuas, tales cogitationes mali Spiritus insusurrationes, tela que eius ignita esse. Sic loquitur scriptura, Prouerb. 22. Qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria. Sunt que hæ cogitationes nihil aliud, quam inquisitiones diuinæ maiestatis, & uelle præuisionem æternam perscrutari. Et Syracides in tertio dicit: Altiora te ne quæsieris &c. Non debes inquirere, quæ superant mentis aciem, sed quæ Deus præcepit, sanctè colenda tibi sunt. Nihil commodi affert tibi, quando appetis ea, quæ non sunt mandata. Et Dauid conqueritur, Psalm: 131. quod male cesserit cum uoluit ambulare in magnis aut mirabilibus quæ sunt supra nos. Propterea certum est, minime ex Deo, uerum ex Diabolo tales cogitationes prouenire, qui illis excruciat corda, ut homo sit hostis Dei & desperet, quæ omnia seuerè
in pri-

DE PRÆDESTINAT.

in primo præcepto prohibuit Deus,
& uult, ut in se unum spem nostram
collocemus, se amemus, & laudemus,
quo ad uiuimus. Secundo,
Quando talia in mentem ueniunt,
discamus apud nosmetipsos ita que-
rere, Age, age, in quo mandato scri-
ptum est, ut illa cogitem aut tra-
ctem? Cum nullum se offert, ita
prorumpas in hæc uerba: Abi Dia-
bole nequam, Tu id operam das,
ut me à Deo meo auertas, ego que
pro me sollicitus sim, cum DEVS
ubique dicat, sibi omnem curam
relinquendam, Ego sum, inquit
DEVS tuus, hoc est, Ego pro te
laboro, me agnoscas, & agas quæ
iubeo, me finas sollicitum esse, quem
admodum S. Petrus docet, Om-
nem sollicitudinem uestram proij-
cientes in eum, quoniam ipsi est
cura de uobis. Et Dauid: Iacta
super Dominum curam tuam, &
ipse te enutriet. Tertio, Quantum
uis

DE PRÆDESTINAT.

uis hæ cogitationes non statim euas-
nescant (inuitus tum Diabolus
abscedit) tu contra non cesses, &
semper cor auertas his uerbis: Au-
dis'ne Satana, ego talia cogitare
(extra uerbum reuelatum) non
uolo, & Deus ea prohibet. Disce-
de. Iam præceptorum Dei recor-
dabor, Deo curam mei commit-
tam, si adeo sapias in talibus causis,
ascende in coelum, cum'que DEO
ipso disputa, qui satis superq; tibi
respondere potest. Ac ita semper
aliam ei monstres uiam, & cor ad
Deum conuertas. Quarto, Inter
omnia præcepta Dei est summum,
ut dilectum Filium suum Domi-
num nostrum Iesum Christum, nos-
bis proponamus, qui cordis specu-
lum quotidianum & præcipuum
sit, in quo cernimus, quam dilexe-
rit nos DEVS ter optimus maxi-
mus, & sollicitus pro nobis fuerit, ut
filium suum dilectum daret. Hic,
hic,

DE PRÆDESTINAT.

hic, dico, ars rectissima, quidem proponitur discendi doctrinam prædestinationis, & alibi nunquam. Ibi apparebit, quod in Christum credens, uocatus sit. Si uocatus, certo etiam prædestinatus. Hoc speculum & hic thronus gratiæ nullo modo ex oculis tui cordis eripiasur, sed quando tales cogitationes incidunt & mordent, ut igniti serpentes, non cogitationibus istis, nec serpentibus animum intendas, Sed oculos auertas semper & inspicias æneum serpentem, hoc est, Christum, pro nobis traditum: Tunc melius sese res, uolente Deo, habebunt. Verum, ut dictum est, pugnandum est, semper à cogitationibus istis desistendum. Si incidunt, iterum excidant, quemadmodum mox aliquis in terram euomet stercus, quod ore concepit, Ita me Deus liberauit. Est que Dei seuerissimum mandatum, ut filium nobis
infiga-

DE PRÆDESTINAT.

infigamus, quo se abunde exhibuit, quod Deus sit noster, (ut primum Præceptum docet) qui nobis opituletur, & curam nostri clementer habeat. Quamobrem ferre non uult, ut nobismetipsis succurramus, aut solliciti simus de nobis, Illud est Deum & primum præceptum, insuper & Christum pernegare. Pessimus Draco, qui Deo & Christo inimicus est, nos talibus cogitationibus, contra primum præceptum à Christo & Deo patre, ad nos ipsos & sollicitudinem nostram, pertrahere conatur, ut subeamus Dei munera (quæ sunt, pro nobis sollicitum esse, & nostrum Deum esse) sicuti Adamum in Paradiso uoluit Deum facere, ut Adam sibi ipsi Deus & pro se sollicitus esset, Deumq; sua sollicitudine & diuinis operibus spoliaret. Ideoque Adam horribiliter lapsus est. Tantum hoc tempore consilij dare uolui, & Hieronymo

VVels

DE PRÆDESTINAT.

VVellero significauī, ut diligenter te hortetur & moneat, ut discas tales cogitationes fugere, & Diabolo eas remittere, ut ipse exhauriat abyssum sapientiæ diuinæ non reuelatæ, scit enim, quid inde sibi euenerit, uiz delictet, quod de cœlo in profundum inferni prolapsus sit. Summa, Quæ non sunt mandata & reuelata, neque offendere, neque contristare debent. Est diabolus, qui hæc urget, non Deus. Dominus noster Iesus Christus ostendat tibi, sicut Thomæ pedes & manus, & operetur in corde tuo, ut illum solum intuearis, & audias, donec in eo ipso super omnia exultes, Amen. Ultima Aprilis. 1532. Martin. Luth.

Vide insignem locum S. Patris Lutheri in commentarijs xxvi. cap. Genesis folio 384. vbi de Prædestinatione pulcherrime disputat.

FINIS.


67 $\frac{10}{97}$




AB 67 $\frac{10}{c, 7}$

(x1992129)







DE PRAEDESTINATIONE
SIVE ELECTIONE, ET
INDURATIONE,

PIA ET SANA

ECCLESIARVM NOSTRARVM
sententia, scripta studio &
amore veritatis,

per

IOHANNEM GARCÆVM,
*Pastorem Ecclesie DEI in noua
arce Brennonis.*

Addita est Epistola S. Patris Lutheri ad
personam tentatam de
Prædestinatione,



ANNO M. D. LXVI.